G. IX. 15.

SANCTISSIMÆ TRINITATI.
NOBILISSIMO SS. TRINITATIS TRICLINIO
Beatissimæ V. M. MATRI DEI.
Magno Prædicatorum Patriarchæ S. Patri
DOMINICO.
TRACTATUS
DE SACROSANCTO
TRINITATIS MYSTERIO,
In gratiam & commodum Studentium.

AVTHORE
P. M. F. FERDINANDO OHM aliàs IANVSZOWSKI. Ord. Præd.

CRACOVIÆ.
Ex Officina Francisci Cezary S. R. M. Illustriss. ac Reverend. Dñi Episcopi Crac. Ducis Sev, necnon Schol, Novodv. Typographi,

Licentia Reverendissimi.

Fr. ANTONINVS CLOCHE, S. Th. Professor, ac totius Prædicatorum Ordinis Magister Generalis & Servus Salutem.

P*Ræsentium tenore, & nostri officij authoritate, tibi* Adm R. P. Magistro Ferdinando Ohm, *aliàs* Ianuszowski, *Provinciæ nostræ Poloniæ, quantùm in nobis est, concedimus licentiam, quâ possis typorum beneficio publici iuris facere Tractatum Theologicum de Ss. Trinitate, quem prælo jam paratum habes: dum modo à duobus Ordinis N. Theologis, nimirùm ab Admodùm Reverendis Patribus,* F. Dominico Frydrychowicz, S. T. Magistro, & F. Hieronymo Paczek Præsentato & Studij Generalis Cracoviensis Regente, *quibus id præsentium tenore, specialiter committimus, præviâ accurata revisione censurâ vè approbatus fuerit, serventurq́ reliqua de jure servanda. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. Amen. In quorum fidem manu propriâ subscripsimus.* Romæ 18. Sept. 1700.

Fr. ANTONINVS CLOCHE
Magister Ordinis
Regta Litt. 1. f. 390.

(L.S.)

F. HENRICVS FABER
Magister & Socius.

Secundo
PRÆCURSORI.
Magno
Animarum Oeconomo.
SANCTISSIMO PATRIARCHÆ
DOMINICO.

OPusculorum ad sacram Theologiam & Philosophiam pertinentium, impressione, & reimpressione, honorandum Nomen Benedictinorum, Camaldulensium, Cistercienstum, Carthusianorum celebravi: ingratitudinis ergo censurâ notarer, si simili actu Tuum Sanctum Nomen Magne Pater S. DOMINICE *non celebrarem. Sed quis heroicas Tuas virtutes: ardentissimam sc: in proximos charitatem, profundissimam humilitatem, castitatem, vitæ puritatem, mortificationes, enarrabit? Fuisti animarum salutis sitientissimus, martirij cupidissimus. Pro liberandis proximis ab infidelibus detentis, Te vendendum obtulisti. En ardentissima charitas. Ostiatim pro se ac Fratribus eleèmosynam mendicans, oblatum semel integrum panem flexis genibus excepisti. En profundissima humilitas, à Fratribus Ordinum Mendicantium imitanda. Nudis pedibus etiam per loca aspera hymnos Deo concinens*

nera

nera cõficiebus. Abstinẽtia rara, nec unquam carnes gustãdo, nec jejunia, etiam æger solvendo. Catenâ ferrea & corpus domabas, & ter singulis noctibus, ita acriter affligebas, ut sanguinis rivi decurrentes, terram pio cruore rigarent. Noctes in Ecclesia pænè ducebas in somnes, modò in genua procumbens, modò toto corpore prostratus orabas. Et si quando gravior somnus fessa obruerat membra, stans nixus altari, seu ad durum lapidem inclinatus, paululum quiescebas. Sed quid immoror, cùm pænè impossibile sit, tot Tuas heroicas virtutes per singula recensere. Et sicut in operando, sic & in docendo & prædicando Magnus fuisti. Rem enim nomini conformans totus Evangelicus extitisti & Apostolicus. Etenim si Matri Tuæ gravidæ in somnis visum est in aluo continere catulum ore faculam gestantem. Si stella micans in fronte parvuli, recipiendo sacrum baptisma apparuit: quid his præsagÿs, nisi totum orbem Tuâ prædicatione illuminandum, & DEI amore inflammandum demonstrabatur? Tantus ergo Prædicator præmonstratus & primus hæreticæ pravitatis generalis Inquisitor, trophæo Crucis insignitus, ac in sacro corpore quinq; Stigmatibus, cum spinea corona præditus, & cum Christo (sustinendo alios Passionis indicibiles cruciatus) crucifixus, assumpto Ssmi Rosarij vexillo, cujus devotionis, Virgine Deiparâ edocente, inventor extitisti: hæreses & maximè nefariam Albigensium pravitatem, eidem Sacrosanctæ Virgini infestam profligâsti. Per decem enim annos in confutandis Albigensium erroribus circa Tolosanam Galliæ Provinciam adlaborâsti: nec sine fructu, plusquam enim centum millia hæreticorum teste Gregorio IX. in bulla Canonizationis, Tuis prædicationibus, congres-

sibus

sibus & miraculis abjuratâ hæresi, ad fidem Catholicam rediêre. Et quid de prodigijs, quibus DEUS Tuam eximiam patefecit sanctitatem. Nam à Sanctissima Virgine Matre Sanctissimis uberibus lactatus. Fugiendo Episcopatum Dolensem de Britannia in Hispaniam ab Angelo delatus. Ad Tuas sanctas preces aqua in vinum conversa. Ad easdem, pluries Fratribus panis & vinum Angelicis manibus ministrata. (Hæc meretur Sancta & Religiosa in refectorio modestia) Ægris à varijs languoribus sanitas restituta. Dum repellendo impudicam mulierem in ignem Te prosternis, crudeli tamen activitate ignis non molestaris. Taceo alia de dæmone trophæa reportata. Hæc ergo & alia multa in Historia Tua S. Pater comprobata, Te inter Sanctos, mirabilem, magnum, gloriosum ostẽdunt. Illud tamen non obvolendum silentio, Tuis Sanctis precibus, Romæ tres mortuos suscitatos.

Nec solum Te in Te S. Pater magnum considero, sed & in dilectis Filijs Tuis, quorum gesta, per immensum foret recensere. Vix enim Dominicana Religio nata erat, miros sanctitatis & sapientiæ radios longè latèq; diffudit, innumeraq; in ea Doctorum, Scriptorumq; multitudo, qui per universum orbem quaquaversum dispersi, eximiam vitæ probitatem, cum publicis literarum muneribus conjunxerunt. His consonat quod scribit religiosus & doctus P. Suarez tomo 4. de Religione trac. 9. l. 2. c. 6. n. 12. Ex hoc Ordine tanquam equo Troiano, vel potiùs arce constructissima, ad destructionem munitionum, ut Paulus loquitur, ab Ecclesiæ hostibus oppositam, prodierunt strenui propugnatores fidei, quam vel editis libris illustrem fecerunt. Sed piget omnium catalogum texere, cùm facilè constare possit, ex ipsius Ordinis monumentis, quot & quales prodierint Ecclesiæ

Prælati, Sacri, ut vocant, Palatij Magistri. Monarchorum Hispaniæ Confessarij. Quot in celeberrimis Academijs Professores primarij, ut facilè credas omnia hæc jure propè hæreditario, huic illustri Ordini obvenisse. Adeò ut per annos non paucos rari fuerint in Republica literaria alicujus nominis viri in doctrina sacra conspicui, qui Dominicanæ familiæ non essent alumni. Hæc citatus Doctor. His accedit: à nonnullis observari, plures Episcopos & Theologos ex Dominicana Familia Sacræ Tridentinæ Synodo interfuisse, quàm ex ceteris Religiosorum cœtibus simul junctis. Et quod à viris doctissimis animadversum, in materijs de Baptismo, de Eucharistia, de justificatione &c. non solùm decreta juxa doctrinam Angelici Doctoris stabilita esse, verùm etiam, cùm Patres Concilij Summam D. Thomæ in publico consensu haberent, Angelici Doctoris conclusiones, definitiones Concilij habitas esse. Nec silentio tegendum id quod Placidius Filingerius Clericus Regularis, in oratione habita Romæ in templo S. Mariæ supra Minervam, tempore Beatificationis B. Iacobi Salomonij Ord: Præd: 1623. coram Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus & Romano populo recensuit, sc: plures quàm duo millia & octingentos, Beatorum Dominicanorum, numerari. Per decursum octuaginta annorum procul dubio præfatus numerus auctus. His rariora de S. P. Dominici familia Seraphicæ Virgini & Matri, S. Theresiæ divinitûs revelata, & refert in ejus vita R. P. Ribera Societ: IESV, his verbis ex Hispano sermone in Latinum versis. De Religionibus magna vidit, cùm ante Sacrosanctam Eucharistiam oraret: apparuit illi quidam ex Ordine S. Dominici, magnum volumen in manu habens, quod aperuit & ad

legendas

legendas aliquot literas magnas & intelligibiles invitavit, quæ hæc exprimebant. Futuris temporibus hic Ordo florebit, multos habebit Martyres. Ejusdem Ordinis sex vel septem vidit, districtos gladios in manibus habentes. Ex quo intellexit hos pugiles fidei futuros. Etiam aliàs orans in spiritu rapta, campum amplissimum vidit, multi præliabantur, & viri ejusdem Ordinis ferventer manus conserebant, vultus eorum miram pulchritudinem, & propemodum ignitam speciem præ se ferebant, multos victos prosternentes, alios occidentes. Intellexit hoc certamen contra hæreses susceptum, Hæc R. P. Ribera referens prophetiam Seraphicæ Virginis & Matris.

Sed quid S. P. Dominici, ab eòq; Ordinis fundati gesta, enarrare contendo, cùm vel S. Hyacinthi, S. Vincentij Ferrerij Apostolicos labores, vel S. Thomæ Doctoris Angelici, S. Theologiæ doctrinam enarrare, non sufficiam. De cujus illibata doctrina, hoc Ioannis XXII. Summi Pontificis testimonium, tot Sanctum fecisse miracula quot articulos scripsisse. A Christo verò sic cõfirmatur: Benè scripsisti de me Thoma.

Sisto, ergo & ad Te S. Pater revertor. sub cujus patrocinio, cuncta prospera eventura credens, hoc Opusculum dedico, orans, ut Tuâ utendo solitâ in Domino confidentia, quâ dum vivens confitebaris, nihil à DEO postulâsse, quod non pro voto impetraveris, ab eodem obtineas, ut me indignum Filium Tuum, Tuis regularibus disciplinis instructum, ad Ssmæ Trinitatis ac Beatissimæ Virginis, & Tui gloriam, in vinea Christi, licèt infimum operarium, efficiat.

Tuæ Sanctitatis

Indignus Filius

F. FERDINANDUS O. P.

Lucentin

Licentia Ordinarij & Approbatio.

TRactatum de Altissimo Ss. Trinitatis mysterio iuxta doctrinam D. Thomæ Doctoris Angelici, elevato labore *Religiosi & Adm. R. Patris FERDINANDI OHM IANUSZOWSKI* in S. Ordine Patrum Prædicatorum S. Theologiæ Magistri collectum ac conscriptum legi. Cùmque sit in omnibus Orthodoxæ fidei conformis, ac Scholasticæ speculationi necessarius: ut propter publicã utilitatem typis mandetur dignum censui & approbavi. Datum in Collegio Majori Academiæ Cracoviensis. A. D. 1701. Die 26. Augusti.

M. PETRUS PRACZLEWIC.
S. Th Doctor & Professor, Ecclesiæ S. Floriani Decan⁹ Librorum in Diœcesi Crac. Censor. *mpp.*

Approbatio Theologorum.

EX mandato *Reverendissimi P. N. ANTONINI CLOCHE Totius S. Ordinis Magistri Generalis*: Legi tractatum de Mysterio ineffabili Ss. Trinitatis ab *A. R. P. FERDINANDO OHM IANUSZOWSKI S. T. Magistro* compositum. Quem quidem tractatum, Catholicè, Scholasticè, ac Thomisticè conscriptum fateor, ac juxta Sacri Concilij Tridentini leges cõpilatum judico, proindeq; luci publicæ ad Ss. Trinitatis perpetuam cõfessionem & venerationem, mediante prælo publico, censeo exponendum. Datum in Conv. Crac. Ss. Trin. Ord. Præd. A. D. 1701. Febr. 15.

F. DOMINICUS FRYDRYCHOWICZ
S. T. M. Ord. Præd. *mpp.*

EX commissione Reverẽdissimi Patris Fr. ANTONINI CLOCHE Magistri Generalis Ord. Præd. attentè legi tractatum de Ss. Trinitate Authore Sapientissimo P. M. F. FERDINANDO OHM IANUSZOWSKI, & nihil in eo reperi dissonum fidei Orthodoxæ, aut Christianis moribus contrarium, immo in toto illo soliditatem & firmitatem doctrinæ Thomisticæ relucere vidi. Dignissimũ proinde iudico, ut typis mandetur & in cõmunem Scholasticorum utilitatem evulgetur. Crac. in Conv. Ss. Trin: die 25. Iunij, 1701.

F. HIERONYMUS PACZEK S. T. Præsentatus
Regens Gen. Studij Crac. P. P.

TRA-

TRACTATUS
De SacroSancto TRINITATIS Mysterio.

NOn licet quidem Theologo ratione naturali procedere ad probandum demonstrativè hoc tremendum Sanctissimæ Trinitatis mysterium: sic enim fidei iniurius esset, cùm fides nostra non rationi sed revelationi innitatur. Licet tamen Theologo ex his, quæ sacra scriptura tradit, & Ecclesia definit, de hoc mysterio tractare, & non omnino silentio involuere, ut quidam putavêre Arriani. Patet hoc exemplo Sancti Ioannis Evangelistæ, qui contra Ebionem hæreticum illud intonat: In principio erat Verbum &c. & alibi dicit: tres sunt qui testimonium dant in cælo &c. Similia his sacra scriptura alijs in locis recitat, quibus personarum distinctio, consubstantialitas, cöeternitas, cöequalitas, & alia arcana manifestantur.

Difficultas Proœmialis.

Quibus terminis utuntur Theologi explicando hoc Arcanũ? ℟. his præcipuè. Substantia, Essentia, Subsistentia, suppositum, hypostasis, usia, proprietas, relatio, notio, circuminsessio, Trinitas, persona.

De Processionibus Divinis.

SUbstantia quandòque significat suppositum, quandòque essentiam. Et sic dici potest in DEO dari tres substantias, sumendo pro suppositis. Sed communiter sumitur pro essentia. - - - *Essentia* significat Deitatem. Græcè dicitur Usia. Hinc Filius dicitur homousius, id est, ejusdem essentiæ cum Patre. *Ego & Pater unum sumus.* Joan: 10.

Subsistentia dicitur terminus intrinsecus naturæ, non quòd sit de essentia naturæ substantialis, sed quòd compleat substantiam in genere substantiæ. Definitur. Terminus complens substantiam in linea substantiæ.

Suppositum dicitur quasi basis & fundamentum naturæ & omnium quæ naturam consequuntur. Omnia enim in supposito existunt, & hoc in nullo sed per se ipsum existit. Definitur. Subsistens incommunicabile.

Hypostasis idem dicit ac suppositum, in hoc ab essentia differt. Hæc enim significatur ut forma in alio existens. Hypostasis ut dictum, quòd in se & per se existit. Dum dico: humanitas, en natura. Dum dico homo: en hypostasis. Hypostasis addit supra naturam, subsistentiam: in Deo relativam.

Usia. De hac jam sub nomine essentiæ.

Proprietas est prædicatum uni tantùm conveniens.

Relatio est respectus unius personæ ad aliam *v. g.* Patris ad Filium.

Notio est ratio quâ una persona cognoscitur distincta ab alia. Quinque sunt in DEO notiones. Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Communisspiratio, & Processio. Ex his quatuor relationes. Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Processio. Quatuor etiam proprietates. Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Processio.

Circuminsessio significat perfectam unius personæ in alia existentiam. Deducitur ex S. Scriptura. *Ego sum in Patre & Pater in me est.* Joan: 14. De hac S. P. Augustinus L. 6. de Trin. c. ultimo. *Singula sunt in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus & unum omnia.*

Super-

Supersanctissima Trinitas significat tres in unitate Essentiæ Personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

Persona est rationalis naturæ individua substantia. Hæc definitio & differentia ab hypostasi explicabitur dist. 3. diff. 1.

DISTINCTIO PRIMA

De Processionibus Divinis.

Difficultas Prima.

V. In Divinis sit aliqua Processio?

NOtandum primò. *S. Thomas* 1. *p. q.* 27. *a.* 1. duos refert errores circa processionem Divinam. Primus est Arrij, qui Divinam processionem, de qua Sacra Scriptura loquitur, accepit secundùm quod effectus procedit à sua causa, dicens Filium procedere à Patre sicut primam ejus creaturam & Spiritum S. procedere à Patre & Filio, sicut creaturam utriusq;. Alius error fuit Sabellij, qui processionem Divinam accepit secundùm quod causa procedit in effectum, inquantum vel movet ipsum, vel similitudinem suam ipsi imprimit. Dixit enim Sabellius Deum Patrem dici Filium secundùm quod carnem assumpsit ex Virgine, & eundem dici Spiritum S. inquantum creaturam sanctificat, & movet ad vitam æternam.

Notandum secundò. Sicut duplex est actio, una quæ tendit in exteriorem materiam, & ordinatur ad perficiendum passum, alia, quæ manet in agente, & ordinatur ad perficiendum agens: ita etiam duplex processio, una ad extra, alia ad intra. Et sic processio ut sic sumpta significat quamcunq; emanationem, vel originem quâ aliquid oritur ab alio. Cæterum processio translata ad Divina significat originem unius Personæ ab alia. Quæ origo, cùm sit in Deo, ex Deo, & non tantùm ut à Deo creaturæ procedunt, hinc debet accipi secundùm emana-

tionem intelligibilem, & per assimilationem supremarum creaturarum, hoc est intellectualium; cùm Deus sit supra materiam & conditiones materiales.

Dico. Datur in Deo processio secundùm quam una Persona Divina procedit ab alia. Et prò primò ex argumento sed contra loco citato. Christus D. de seipso dicit, *Ego ex Deo processi*, Sed Christus D. est Deus, ergo ex Scriptura patet dari processionem Dei ex Deo. Ma: patet ex Joan: 8. Minorem verò docet D. Paulus ad Philippenses secundo. *Qui cùm in forma esset Dei, non rapinam arbitratus est esse se aqualem DEO.*

Probatur secundò ex O articuli impugnando errorem Arrij, in primo notando relatum & valet pro confirmatione minoris. Si Filius & Spiritus S. procederent à Patre, secundùm quod effectus procedit à causa, sequeretur, quod neq. Filius, neq; Spiritus S. essent verus Deus, contra id quod dicitur de Filio 1. Ioann: C. ultimo. *ut simus in vero Filio eius, hic est verus Deus.* Et de Spiritu Sancto dicitur primæ ad Corint: 3. *Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritûs S.* templum autem habere solius DEI est.

Item impugnando errorem Sabellij dicentis processionem dari in DEO secundùm quod causa procedit in effectum & ab eo denominatur. Sicq; Patrem dici Filium inquantum carnem assumpsit. Ioann: 5. habemus: *Non potest facere à se Filius quicquam*, ergo patet Filium non esse qui est Pater. Ergo procedit ut distinctus. Ergo processio Divina non est accipienda secundùm quod causa procedit in effectum, sed secundùm quod una persona procedit ab alia.

Probatur tertiò ratione D. Sancti hic in O articuli. *Quicunq; intelligit eò ipso quòd intelligit, procedit aliquid intra ipsum quod est conceptio rei intellectæ & dicitur verbum.* Sed Deus est perfectissimè intelligens, ergo procedit aliquid intra ipsum, quod de necessitate est Deus. Quod enim

intra

intra Deum est, Deus est. Scias primò. Doctorem S. non uti hâc ratione præcisâ revelatione, Sed ea suppositâ. Item licèt hâc ratione probetur tantùm processio Verbi, potest tamen duci paritas ad processionem Spiritûs S. ut patebit ex dicendis.

Arg. 1. Procedere ab aliquo est accipere esse ab illo. Sed accipere esse dicit imperfectionem quia dicit dependentiam, indigentiam, rationem effectûs, rationem principiati &c. ergo procedere ab aliquo dicit imperfectionem, ergo processio repugnat DEO.

℟. dist: min: accipere esse, seu essentiam distinctam dicit imperfectionem C. mi: esse seu essentiam eandem indivisibiliter N. Min: Imò accipere tali modo esse dicit omnem perfectionem in accipiente quæ reperitur in principio, à quo accipit idem esse.

Arg. 2. Deus est essentialiter primum ens, sed implicat primum ens procedere ab aliquo, ergo repugnat Deo vel Personæ Divinæ procedere ab aliquo. Min: pr: id quod procedit ab aliquo est posterius illo saltem naturâ, sicut effectus est posterior causâ, à qua dependet, sed implicat primum ens esse tali modo posterius, ergo implicat primum ens procedere ab aliquo. ℟. ad pr: dist: ma: id quod procedit est posterius saltem naturâ, si procedat secundùm naturam. C. Ma: si procedat secundum personalitatem tantùm N. Ma: Persona autem Divina procedit tantùm secundùm personalitatem, & non secundûm naturam; quia per talem processionem non producitur natura, sed tãtùm communicatur, esto producatur Personalitas.

Instabis. Si Persona procederet secundùm naturam, esset posterior secundùm naturam, ergo si procedit secundùm Personalitatem erit posterior secundùm Personalitatem. ℟. dist. consequens. erit posterior posterioritate originis. C. Cqm. posterioritate quâcunq; alia N. Cqm. Quæ posterioritas originis per hoc explicatur quòd una Perso-

na producatur ab alia. Sicut posterioritas naturæ consistit in hoc quòd effectus dependeat à sua causa. Hanc posterioritatem originis ex Thomistis multi negant, aliqui tamen concedunt, ut Philippus à SS. Trin: 1. p. Summæ Philosophicæ q. 12. *a.* 2. & *Gonet de Trin: disp:* 2. *a.* 1. §. 2.

Arguitur tertiò. Omne procedens vel procedit ex aliquo vel ex nihilo, Sed Persona Divina non procedit ex nihilo: quia sic esset creata. Non ex aliquo: quia sic esset per transmutationem cum modo potentialitatis, & novitate essendi, ergo non datur in Deo processio secundùm quam una Persona procedit ab alia.

℟. quod Persona Divina non procedat ex nihilo, sed de aliquo, nimirum de substantia Patris, quatenus Pater producit Filium communicando ei eandem numero naturam improductam. Hoc enim sufficit ut Filius dicatur non productus ex nihilo sed de aliquo. Quia ut posset dici productus ex nihilo, oportet quòd totumquod est in Filio etiam natura produceretur. Cum ergo natura tantùm communicetur, Filius non potest dici productus ex nihilo, sed de substantia Patris. Quia tamen non ut de causa materiali, hinc non per transmutationem, non cum modo potentialitatis & novitate essendi. *Vide Divum Thomam infra* q. 41. *a.* 3. *ad* 1.

Arguitur quartò. Si in Deo datur processio: vel Deus se Deum vel alium genuit Deum. Respondet *Magister in* 1. *d.* 4. neutram esse veram.

Dices. Idem & diversum dividunt ens, ergo Deus genuit eundem Deum vel alium Deum. Respondet *B. Albertus M. apud Carthusianum in* 1. *d.* 4. *q.* 2. Quòd idem & diversum dividunt ens creatum, non verò increatum, quod secundùm supposita est distinctum secundùm essentiam indistinctum. *V. citatos & S. Thom: in* 1. *d.* 4. *q.* 2.

QVÆ-

QVÆSITVM.

Quo sensu vera Divi Thomæ propositio hic in O Articuli.

QVicunq; intelligit ex hoc ipso quòd intelligit procedit aliquid intra ipsum.

℟. Hanc propositionem esse uniuersaliter veram circa objectum connaturale & proportionatum circa quòd non supponitur productum verbum per eandem intellectionem. Ita ut sensus propositionis sit; omne intelligens suum objectum connaturale ex hoc ipso quòd intelligit producit verbum, si per eandem intellectionem productum non fuit. Quæ veritas subsistit licèt visio beata verbum non producat: quia non versatur circa objectum ex se connaturale intellectui. Subsistit etiam licèt Filius & Spiritus S. intelligendo nihil producant: quia intellectio quâ intelligunt est eadem omnino cùm intellectione Patris, quâ verbum producit. Hæc responsio colligitur ex Gonet. disp. 2. de Trin: art: 1.

Dices. Nullus Angelus cognoscendo seipsum producit verbum ut docet Cajet: & tamen essentia Angeli est objectum maximè proportionatum. ℟. Multos Thomistas sentire sententiam Cajetani esse quodam-modo alienam à mente S. Thomæ in 4. contra gentes C. 11.

Difficultas Secunda.

In quonam consistant processiones Divinæ?

DIco: Processiones activæ consistunt in absoluto modificato relatione principij. Est contra Suarez, Molinam, & alios. Probatur. Dictio & spiratio consistunt in absoluto modificato relatione. Sed processiones Divinæ activæ sunt dictio & spiratio. Ergo consistunt in absoluto

soluto modificato relatione. Minorem ferè omnes concedunt contra Durandum. Major etiam patebit ex dicendis & declaratur breviter. Dictio enim & spiratio sunt actûs, intellectûs & voluntatis, qui sunt aliquid absolutum, habent tamen rationem processionis activæ in quantùm important relationem principij, & inferunt terminum productum. Quòd autem processiones activæ consistant in absoluto modificato relatione principij. Patet. Quia processiones activæ sunt in principio & non in termino. ergo consistunt in absoluto modificato relatione principij. Ex quo infertur è contra processiones passivas consistere in absoluto modificato relatione termini. Quia tales processiones sunt in termino & non in principio. Declarantur hæc breviter. Sicut ad perfectam unitatem in natura inter Patrem & Filium spectat ut forma constitutiva generationis generantis & geniti veluti in actu primo, sc: potentia tam activè quàm passivè sumpta, sit una & eadem quoad id quod dicit in recto, ut docet D. Thomas 1. p. q. 41. a 5. ita ad eandem unitatem pertinet ut forma quâ Pater & Filius constituuntur generans & genitus, in actu secundo sit una & eadem quoad id quod dicit in recto ac proinde sit aliquid absolutum modificatum tamen relatione principij, vel termini.

Arguitur primò. In creatis actio productiva non est aliud nisi fieri effectûs prout à causa. ergo in Divinis actio Vg: generativa non est aliud nisi produci Filij prout à Patre. Sed hoc nihil aliud est quàm Filius. Ergo generatio activa est ipsemet Filius. Et sic omnis processio activè sumpta suus terminus. Ergo processiones non consistunt in absoluto modificato relatione.

℟. N. Subsumptam minorem; sicut enim in creatis fieri effectûs non est ipse effectus, sed quo mediante in actu secundo producitur effectus. Ita in Divinis produci Filij non est ipse Filius sed quo mediante in actu secundo producitur Filius. Argu-

Arguitur secundò. Non solùm terminus processionis sed & ipsa processio realiter producitur. Ergo distinguitur realiter à principio, & cum termino identificatur, in quo proinde consistit & non aliquo absoluto relatione modificato. Conseq: clara antec: verò docet S. Thomas 1. p. q. 41. a 4. dum admittit potentiam realem respectu actuum notionalium.

℟. N. Ant: ad pr. dico S. Thomam admittere potentiam ad actus notionales, non quòd actus notionales in se producantur, sed quòd termini actuum notionalium ad intra producantur. Hinc nascitur discrimen cur ad actus notionales admittamus potentiam ad intra, non verò ad actus essentiales. Et est: quia actus essentiales nullum respiciunt terminum, ad intra productum, benè verò notionales. Hæc duo argumenta intendebant processiones activas ponere in sola relatione termini. Sequens autem in sola relatione principij.

Arguitur tertiò. Processio passiva vg: Spiritûs S. consistit adæquatè in sola relatione spirationis passivæ, ergo processio activa consistit adæquatè in sola relatione spiratoris. Probatur ant: in eo consistit processio adæquatè passiva, quòd determinat Spiritum S. ad esse spiratum. Sed sola relatio spirationis passivæ determinat Spiritum S. ad esse spiratum. Ergo in ea sola consistet processio passiva, si ergo in sola relatione, consequenter non in aliquo absoluto modificato relatione.

℟. N. ant: ad pr. dist: min: Sola relatio spirationis passivæ, determinat Spiritum S. ad esse spiratum: determinat inquam ut quoddam complementum. C. Min: determinat ut forma N. Min: Forma ergo determinans ex duobus consurgit, ex actu voluntatis passivè accepto, & relatione modificante talem actum voluntatis. Ratio autem cur actus voluntatis debeat spirationem passivam ingredi? est ipsa assimilatio perfecta inter spirans, & spiratum.

Difficultas Tertia.

V. Processiones Divinæ sint verè & propriè actus intellectûs & voluntatis?

DIco. Processiones Divinæ activæ sunt propriè actus intellectûs & voluntatis, generatio intellectûs, spiratio voluntatis. Hæc conclusio ita certa est, ut oppositam censeant Theologi periculosam in fide. Eam tamen docuit Durandus in 1. d. 6. q. 2. & alibi qui censet Divinas processiones activas esse quosdam actus communicativos Divinæ naturæ, distinctos cum fundamento in re ab omni actu intellectûs & voluntatis, ita ut si per impossibile secluderetur à DEO intellectus & voluntas, adhuc remaneret, generatio Verbi & productio Spiritûs S. ex sola fœcunditate naturæ Divinæ.

Probatur. Filius & Spiritus S. sunt termini intellectûs & voluntatis. Ergo processiones activæ per quas procedunt sunt actus intellectûs & voluntatis. Consequentia benè sequitur. Ant: probatur. Verbum & amor sunt termini intellectûs & voluntatis, sed Filius & Spiritus S. sunt Verbum & Amor. Ergo Filius & Spiritus S. sunt termini intellectûs & voluntatis. Major certa ex Libris de anima, ubi docetur verbum mentis produci ab intellectu interiùs loquente, amorem autem seu amoris impulsum produci à voluntate. Minor habetur in sacra scriptura quoad primam partem de Verbo in qua Filius procedens à Patre vocatur Verbum. Joan: 1. *In principio erat Verbum* de quo Verbo postea subditur: *& vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti à Patre &c.* quoad secundam verò partem de Amore habetur Joan: 4. *Diligamus nos invicem, quia charitas ex DEO est.* Quem locum de Spiritu S. explicat S. Aug. L. 15. de Trin: c. 17. quæ sacræ scripturæ verba intelligenda sunt in sensu proprio; cùm sic intelligantur à Sanctis Patribus

ut videre

ut videre est apud Authores, alias nihil certum & firmum in sacra scriptura esset.

Arguitur primò. S. Hilarius L. de Synodis S. Damasc: L. 1. de Fide, c. 8. attribuunt generationem Divinam naturæ vocantes eam operationem naturæ. Ergo ex sententia SS. Patrum generatio Divina consistit immediatè in operatione naturæ, & non intellectûs.

℞. Generatio Verbi dicitur à SS. Patribus operatio naturæ: quia est ab illa ut principio radicali mediante intellectu, ut virtute proximâ.

Arguitur secundò. Actus intellectûs & voluntatis, cùm sint immanentes, non habent aliquem terminum productum: aliàs non distinguerentur ab actibus transeuntibus, ergo patet, quod termini processionum, non sint termini intellectûs & voluntatis, consequenter processiones Divinæ non sunt actus intellectûs & voluntatis. ℞ N. Ant: & dico adhuc fore distinctionem inter actionem immanentem & transeuntem. Hæc enim ex suo communi conceptu requirit terminum productum, illa non, ut patet in cognitione sensuum externorum, & in visione beata, quæ secundùm communiorem Thomistarum sententiam non producit Verbum. Aliquando tamen actio immanens non excludit terminum productum, scilicet verbum mentis, ut patet in cognitionibus naturalibus habentibus objectum proportionatum.

Arguitur tertiò. Actus intellectûs & voluntatis, sunt communes tribus Personis, sed processiones activæ non sunt illis communes; quia generatio convenit tantùm Patri, Spiratio verò & Patri & Filio tantùm. Ergo processiones activæ non sunt actus intellectûs & voluntatis.

Confirmatur per actus intellectûs & voluntatis utpote communes toti Trinitati, non distinguuntur Divinæ Personæ, sed per processiones distingvuntur. Ergo processiones non sunt actus intellectûs & voluntatis.

℞. ad Arg: dist: ma. actus intellectûs & voluntatis sunt communes tribus Personis absolutè accepti, C. Ma: modificati hâc vel illâ relatione principij. N. Ma: processiones autem non sunt actus intellectûs & voluntatis absolutè accepti, sed modificati hâc vel illâ relatione principij in ordine ad terminum productum. Ad confir: dist: min: per processiones Personæ Divinæ distinguuntur per processiones inquam adæquatè acceptas. N. Min: inadæquatè acceptas. C. Min: hoc est ex ea parte per processiones Personæ Divinæ distinguitur ex qua parte relationes importantur.

Arg: 4. Cum proportione attribuitur Deo fœcunditas cum creaturis: cùm Deum ex creaturis cognoscamus. Sed creaturis non convenit fœcunditas substantialis, (de qua est sermo) secundùm actus intellectûs & voluntatis, ut patet. Ergo nec Deo attribuenda fœcunditas secundùm hos actus. Ergo processiones Divinæ non consistunt in actu intellectûs & voluntatis.

℞. dist: Ma: Cùm proportione attribuitur fœcunditas Deo & creaturis, quoad id quòd importat fœcunditas ut sic. C. Ma. quoad id quòd importat fœcunditas ut creata N. Ma. C. Min. & N. utramque Cqm. Fœcunditas autem ut sic importat communicationem naturæ substantialis.

Difficultas Quarta.

V. Processiones Divinæ sint intellectio & volitio, vel alij actus intellectûs & voluntatis?

QUicquid de processione Verbi Divini dicemus applicandum erit secundùm exigentiam, processioni Spiritûs S. Dico. Processiones Divinæ non sunt actus adæquatè distincti ab intellectione & volitione sed solùm inadæquatè, quatenus addunt supra intellectionem & volitionem habitudinem ad terminum productum: hoc est quatenus connotant & importunt terminum productum.

Et sic

Et sic non addunt supra intellectionem, & volitionem particularem & propriam rationem actûs & operationis. Est contra Doctorem subtilem, ita tamen S. Thomas 1. p. q. 27. a. 1. ibi. *Quicunque intelligit ex hoc ipso quòd intelligit producit verbum.* Ita etiam S. Fulgentius L. 3. ad Monim: c. 7. *Cùm mens apud se verbum habet utique cogitando habet: quia nihil est apud se dicere, quàm apud se cogitare.* Pr. Intellectio est actus adæquatus intellectûs, sicut visio est actus adæquatus potentiæ visivæ: ex his enim hæ potentiæ specificantur. Ergo cùm dictio sit actus intellectus (ut concedit Scotus) comprehendetur sub intellectione. Ergo non distinguetur virtualiter & cum fundamento ab ea, sed solum addet connotationem ad terminum productum.

Argu. Productio verbi Divini comparatur cum productione verbi nostri secundùm S. P. Aug. L. 15. de Trin: c. 14. Sed verbum nostrum nascitur de scientia, seu intellectu nostro in actu primo & non de intellectu, prout est in actu secundo per intellectionem. Ergo idem dic de Verbo Divino. Et sic processio Verbi Divini non est intellectio. Min: pr. ex S. P. Aug: L. 15. de Trin: c. 10. *Necesse est dum verbum loquimur, ex ipsa scientia quàm memoriâ tenemus verbum nascatur.* ℞. ad pr. S. P. non excludit intellectionem, per quam verbum procedit, in quo distinguitur productio verbi, seu speciei expressæ, à productione impressæ: quæ cùm solùm respiciat objectum cognoscibile & in actu primo non producitur mediâ intellectione.

Arg. 2. Prius non includit posteriùs. Sed dictio est prior intellectione. Ergo non includit intellectionem. Ergo distinguitur adæquatè ab intellectione. Ergo &c. Min: patet. Prius enim formatur verbum, quàm consideretur objectum in verbo.

℞. ad Ma. Priùs simpliciter, non includit posteriùs. C. Ma. Priùs secundùm aliam rationem tantùm. N. Ma.

Dictio autem non est simpliciter prior intellectione completè sumptâ, sed tantùm secundùm rationem: inquantùm priùs in eadem intellectione concipitur, quòd sit formativa verbi, quàm contemplativa objecti in verbo. Quia tamen intellectio Divina non ex indigentia, sed ex fœcunditate producit verbum, hinc pro aliquo signo rationis antequam intelligatur productiva verbi, est cõtemplativa objecti, quód tamen quasi secundò contemplatur in producto verbo. Quo secundo sensu secundùm nostrum concipiendi modum, intellectio est posterior dictione.

Arg: 3. Operationes respicientes distinctos immediatos terminos sunt distinctæ secundùm rationem operationis. Sed intellectio & dictio sic se habent. Ergo distinguuntur secundùm rationem operationis. In DEO virtualiter, in nobis actualiter. Ergo &c. Min. Quia intellectio respicit pro termino immediato rem intellectam: dictio rem productam.

℞. d. Ma. Operationes respiciẽtes distinctos terminos immediatos adæquatos distingvuntur. C. Ma. inadæquatos. N. Ma. Res autem intellecta & verbum, sunt termini inadæquati, respectu intellectionis fœcundæ, seu dictionis adæquatè acceptæ. Nec mirùm quòd in Deo terminos inadæquatos concepamus: rẽ enim etiam inadæquatè cõsideramus. Quòd autem eadem intellectio possit respicere, & objectum intellectum, & terminum productum, patet de prima demõstratione, quæ respicit objectum demonstratum, & habitum productum.

Difficultas Quinta.

V. Actus intellectionis & volitionis quos important processiones Divinæ, sint distincti virtualiter & cum fundamento in re ab intellectione & volitione essentiali, intra propriam lineam intellectionis & volitionis?

Dico

DIco quòd non. Est contra Henricum Gandavensem Ord: Servorum B. V. M. qui asserit intellectionem & volitionem notionalem in quibus consistunt adæquatè processiones Divinæ distingui virtualiter ab intellectione & volitione essentiali, non solùm per additamentum relationis, sed intra propriam lineam.

Pr. Non datur duplex intellectus, aut duplex voluntas, essentialis sc. & notionalis. Nemo enim unquam concessit duplex attributum, intellectûs & voluntatis, sicut nec duplex attributum justitiæ & misericordiæ. Ergo nec debet concedi duplex intellectio & volitio, ita ut distinguantur intra ordinem intellectionis & volitionis.

Ex quo patet. principium intellectionis & volitionis notionalis, hoc est dictionis & spirationis, quòd est potentia generativa & spirativa, nihil aliud esse, quàm naturam & intellectum Divinum ut in Patre: item naturam & voluntatem Divinam prout in Patre & Filio. Et sic solùm addere supra absolutum commune alijs Personis, connotatum relativum, non autem specialem rationem potentiæ. Ita expressè S. Th. 1. p. q. 41. a. 5. per totum referens Magistrum sententiarum in 1. d. 7.

Arg. Verbum cùm sit terminus intellectionis importat aliquid in linea intelligendi, quòd non convenit alijs Personis sicut esse terminum intellectionis non convenit alijs Personis. Ergo & Pater qui est principium talis termini importabit, aliquid in linea intelligendi, quod non convenit alijs Personis: Sed hoc non est aliud, quàm intellectus notionalis & intelligere notionale. Ergo intellectus notionalis & intelligere notionale, importat aliquid cum fundamento distinctum ab intellectu essentiali & intelligere essentiali. ℞. N. A. Ex hoc enim quòd sit terminus intellectionis solùm colligitur, quòd includat lineam intelligendi, non solùm realiter, sed ex vi suæ processionis & sit relatio Dicti, non verò quòd in linea intelligen-

telligendi importet aliquid non conveniens alijs Personis.

Difficultas Sexta.

V. Processiones Divinæ habeant veram rationem actionis?

ACtio tripliciter sumitur. Grammaticaliter, seu ex modo significandi, quam habet forma comparata ad subiectum dando ei effectum formalem. Secundò pro ultima actualitate agentis. Hæc, sicut sequens, dicitur emanatio, communiter & latè accepta. Tandem pro actione prædicamentali quæ infert passionem. Quæ si non identificatur, saltem conjungitur, motui.

Dico. Processiones Divinæ habent veram rationem actionis. Est contra Molinam & alios asserentes esse simplices emanationes. Est autem pura & simplex emanatio, origo unius ab alio non concurrente per veram actionem, quomodo emanant proprietates ab essentia & relationes à fundamento. Ita S. Th. 1. p. q. 27 a 2. ibi. *Verbum procedit per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ.* Probat P. Gonet: disp: 2. de Trin: a. 2. Persona subsistens debet produci per veram actionem. Sed processiones Divinæ producunt personas subsistentes, ut est de fide. Ergo sunt veræ actiones. Ma. pr. Quia persona subsistens non potest non esse substantialis terminus per se primò terminans actionem.

Dices. In rebus creatis quamvis generatio terminetur ad personam subsistentem, attamen in sententia Thomistarum, non est vera actio, sed tantùm resultantia ex alteratione præcedenti. Ergo &c. Contra. Ex hoc pr. nostra conclusio. Ideò enim in creatis generatio non est vera actio, quia subsequitur ad veram actionem, sc: alterationem tanquam complementum illius, & sic tantùm est resultantia: processiones autem Divinæ non consequuntur

quuntur ad aliquam actionem. Nec potest dici consequi ad intellectionem & volitionem cùm sint intellectio & volitio.

Arg. 1. S. Th. q. 2. de Potentia a. 1. ad 1. dicit. *Potentia quæ in Deo ponitur nec propriè activa nec passiva est: cum in ipso non sit nec prædicamentum actionis, nec passionis, sed sua actio & sua substantia.* ℞. S. Thomam loqui de actione prædicamentali & de potentia ei correspondente ut patet ex textu.

Arg. 2. In rebus creatis relationes non fiunt per veram actionem sed resultant ex fundamento posito termino, ut docet Arist: in prædicamentis de relatione. Ergo similiter in Deo relationes non producuntur per veram actionem. Ergo processiones Divinæ non sunt veræ actiones. ℞. N. Conseq. Nam relationes creatæ cùm sint accidentales & diminutæ entitatis non petunt aliud fieri. Relationes verò Divinæ sunt substantiales, subsistentes. Talia autem exigunt verè produci.

Difficultas Septima.

V. Detur in Divinis generatio propriè accepta?

DUpliciter sumitur generatio. Communiter seu latè, ut extenditur ad omnia generabilia & corruptibilia. Sic dicimus generari lapides, plantas, homines, &c. Et sic generatio est mutatio de non esse ad esse. Deinde ut solis viventibus convenit.

Generatio viventium, *est origo viventis à vivente conjuncto, in similitudinem naturæ specificæ.* Dicitur *viventis* id est suppositi animati, per quod & distinguitur generatio viventium, à non viventium, & denotatur terminus generationis, qui debet esse vivens non accidentale, sed substantiale, non partiale, sed totale, ut est suppositum. Dicitur *à vivente,* per quod distinguitur productio animalium

ex putri materia à generatione propria viventibus. Immo ly *à vivente* intelligendum formaliter: quasi diceretur à vivente per vitalem operationem concurrente, per quod excluditur à generatione perfectè sumpta, productio Evæ, quæ licèt ex Adam vivente. non tamen vitaliter operante. Dicitur *à vivente conjunctò* per quod denotatur quòd generatio propriissimè sumpta debeat esse à principio rei genitæ conjuncto, saltem per substantiam decisam, defectu cujus adhuc productio animalium ex putri materia virtute solis facta non dicitur generatio, ut hic sumpta. Dicitur *in similitudinem naturæ specificæ*: defectu cujus vermes ex humore hominis, intra hominem producti, non dicuntur generari generatione perfecta: cùm non sint in similitudinem naturæ specificæ.

Dico 1. Datur in Deo generatio viventium propriissimè sumpta: cùm terminus genitus non solùm accipiat eandem specie, vel quasi specie, sed eandem numero naturam. Est de fide. Patet ex illo Isaiæ c. 53. *Generationem ejus quis enarrabit.* Et psalmo 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quem locum S. Paulus ad Heb: 1. de æterna generatione intelligit. Probat enim ex hoc Christum D. esse Filium naturalem & non adoptivum, dicens: *Cui enim Angelorum dixit filius meus es tu?* Quæ non sunt intelligenda de generatione communiter sumpta: cùm S. Scriptura talem attribuat, ex qua sequitur filiatio. Nec cogimur hîc & nunc ad improprias locutiones confugere, sicut quando Deus nominatur creaturarum Pater, Job. 38. *Quis est pluviæ Pater?*

Pr. Omne perfectum vivens producit sibi simile. Sed Deus est perfectissimum vivens. Ergo producit sibi simile. Aliàs deesset Deo aliqua perfectio, quæ est producere sibi simile.

Dico 2. Generatio Divina non est mutatio de non esse ad esse.

Pr. Æter-

Pr. Æternum excludit mutationem de non esse ad esse. Sed generatio Divina est æterna. Ergo excludit mutationem de non esse ad esse. Ma: est certa. Min: habetur ps: 109. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Item Proverb: 8. de Sapientia æterna. *Non dum erant abyssi & ego jam concepta eram.* Et post pauca: *ante omnes colles ego parturiebar.*

Arg: 1. contra 1. conc: Generatio propria viventibus continetur sub generatione communiter sumpta. Sed hæc repugnat Deo: cùm dicat mutationem. Ergo & illa. ℞. contineri sub generatione communiter sumpta, ut dicit productionem substantiæ, non verò ut includit alias rationes.

Arg: 2. Generatio viventium est univoca. Sed generatio in Deo non est univoca: cùm sit inter terminos oppositos. Ergo generatio viventium in Deo non datur. ℞. dist: 2. p. Minoris. Est inter terminos oppositos attendendo relationes C. attendendo naturam N. Min.

Arg: contra 2. Vel Filius præfuit actu vel potentiâ. Si actu: ergo fuit antequam generaretur. Si potentiâ: ergo transivit de non esse ad esse. Ergo generatio Divina est mutatio de non esse ad esse. ℞. in Deo non datur *præ* vel *ante*. Non ergo præfuit, sed semper æterno Patri coexistit, à quo semper generatur, in quantùm semper habet esse perfectum à Patre. Ex dictis patet consubstantialitas Patris & Filij.

Difficultas Octava.

V. Processio verbi in Divinis sit propriè & perfecta generatio?

VErbum mentale est formalis similitudo objecti intellecti. Seu, est formalis expressio objecti intellecti. Congruè autem hæc similitudo vocatur verbum. Nam

sicut per verbum oris homo alijs vocaliter loquitur, ita per hanc similitudinem habendo eam intra se, sibi intellectualiter loquitur. Dicitur etiam prædicta similitudo conceptus seu potiùs partus mentis. Ex objecto enim & potentia paritur hæc objecti similitudo. Dicitur, species & imago expressa: quia objectum in actu secundo, exprimit & repræsentat. Item dicitur terminus intellectionis: cùm per intellectionem producatur. Tandem dicitur objectum internum: eò quod intellectio immediatè terminetur ad hanc similitudinem, non tanquam ad rem cognitam, sed tanquam ad id in quo contemplatur suum objectum. v. dist: 9. §. *Pro notitia, &c.*

Illa autem dicitur formalis similitudo quæ repræsentat objectum habendo convenientiam cum objecto. Qualiter imago Pontificis est similitudo formalis Pontificis. Sicut è contra virtualis similitudo objecti dicitur illa quæ repræsentat objectum non habendo convenientiam cum objecto. Qualiter signum est similitudo.

Dico. Processio Verbi in Divinis est propriè & perfecta generatio. Est de fide. Pr. Verbum Divinum dicitur genitum, Dicitur Filius. Ergo processio Verbi est verè generatio viventium. Ant. pr. ex 1. Ioannis, ubi de verbo dicitur ut ex præcedentibus constat: *vidimus gloriam ejus quasi Vnigeniti.* Vbi ly quasi non se tenet diminutivè sed identicè & secundùm æqualitatem & facit hunc sensum; vidimus gloriam ejus tantam quantam decet habere unigenitum DEI. Unde paulò post sine particula *quasi* subditur: Unigenitus qui est in sinu Patris.

Pr. ratione S. Th. 1. p. q. *27. a. 2.* Processio viventis à vivente conjuncto, secundùm similitudinem in eadem natura, est generatio. Sed processio Verbi in Divinis est talis. Ergo est generatio. Min. declaratur. Verbum procedit ut *vivens à vivente*: quia procedit per intellectionem quæ est operatio vitalis. *A principio conjuncto*: quia

cùm

cùm sit terminus actionis immanentis, est intimum ei à quo procedit. *Secundùm similitudinem*: quia verbum est similitudo rei intellectæ, quæ res intellecta, est ipsemet intelligens: cùm Deus Pater se intelligendo formet verbum. *In eadem natura*: quia in Deo idem est intelligere & esse: id est. In Deo linea intelligendi identificatur cùm esse naturali. Sed ut patet ex immediatè dicto, verbum est simile Patri secundùm esse intelligibile. Ergo & secundùm esse naturale. Non tantùm eandem specie, vel quasi specie, sed eandem numero habendo naturam.

Arg. 1. Prov: 8, dicitur de Sapientia æterna: *Dominus creavit me.* Et Ecclesiastici 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum.* Non ergo genita. ℞. ex D. Th: 4. contra Gentes c. 8. in his nomine sapientiæ, vel non intelligitur sapientia quæ est Filius Dei, sed sapientia indita hominibus. Vel intelligitur humanitas Christi D. ab æterno præuisa. Vel si intelligitur de Sapientia, hoc est, Filio Dei: dico, ibidem dici & creatam & genitam, ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, ex generatione unitas naturæ in utroque. Sic tamen est creata impropriè, & genita propriè.

Arg: 2. S. Dionysius c. 5. de Theo: mystica, ait, in Deo nec filij, nec patris rationem esse. S. Basil: l. 2. contra Eunomium. negat verbum Divinum posse dici genituram. ℞. SS. Patres non negant simpliciter rationem patris & filij in Deo, sed secundùm modum significandi, propter imperfectiones importatas. Si enim hæc nomina sumantur in concreto significat compositionem, si in abstracto, negationem subsistentiæ. Rectè verò S. Pater negat Filium Dei genituram, quia hoc nomen non usurpatur ab Ecclesia, & potiùs exprimit generationem, quàm genitum.

Q. Quid intelligit S. Thom. per rem intellectam dum 1. p. q. 27. a. 2. dicit: *Conceptio intellectûs est similitudo rei intellectæ?* ℞. Patrem Quia illam intelligit rem intellectam

 cui

cui debet assimilari, terminus genitus, in natura, Hæc autem res est Pater. Quia tamen Verbum Divinum ad rem intellectam quatenus intellectam non dicit relationem realem (qualis est inter Personas, ne multiplicemus relationes in Deo) sed rationis, vel etiam secundùm dici, in quantùm verbum est imago rei intellectæ, hinc non dicitur rei intellectæ ut intellectæ Filius V. M. Zumel in præsenti.

COROLLARIVM.

EX dictis patet. Christum D. non dici Filium Dei ob generationem carnalem. Nec ob eam actionem, quàm Deus ad generationem ejus ex Virgine adhibuit. Nec quòd miraculosè de Spiritu S. conceptus. Sed quòd procedat à Deo, substantia vivens, à principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ. Est contra Arrianos.

Prima pars. Nam Christus D. antequam nasceretur erat Verbum, ut patet ex 1. Ioan: Ergo antequam nasceretur secundùm carnem erat Filius Dei. Cùm esse Verbum Divinum & Filium Dei idem sit.

2. pars. Vt aliquis dicatur Filius non sufficit aliquomodo ab alio produci, sed ut procedat, quomodo viventia à vivente procedunt: sc: ut de substantia viventis procedat in similitudinem naturæ. Sed Christus D. ob eam actionem quàm Deus ad ejus generationem ex B. V. M exhibuit, non procedit de substantia Dei, nec ut similis Deo in substantia. Ergo ob eam actionem non potest dici Filius Dei.

3. pars. Si Christus D. ob id dicitur Filius Dei, quia de Spiritu Sancto conceptus. Ergo est Filius Spiritûs S. Quod vix aliquis hæreticorum dicet.

Est ergo Filius Dei. Qvia procedit ut substantia vivens, á principio vivente conjuncto, in similitudinem naturæ.

Procedit

Procedit inquam *à Deo* secundùm illud Ioannis 8. *Ego ex Deo processi. Vivens à vivente. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Ioan: 5. *Principio conjuncto. Ego in Patre & Pater in me est.* Ioan: 14. *In similitudinem naturæ. Ego & Pater unum sumus.* Joan 10.

Dices. Angelus postquam Spiritum S. superventurum in Mariam Virginem significavit, adjecit: *Ideoque quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ergo indicavit causam cur Christus vocandus sit Filius Dei, sc: quòd de Spiritu S. concipiendus. ℞. N. consequentiam. Ly enim *ideo* non significat causalem sed illationem. Talis enim conceptio & nativitas convenit Deo homini & non puro homini.

Urgebis. Angelus dixit vocabitur. Ergo non fuit Filius Dei antequam conciperetur. Ergo ly *ideo* non sonat illationem sed causalem. ℞. N. conseq: Nam Angelus non loquebatur de Christo D. ut Deo tantùm sed secundum carnem & ut homine, de quo verificatur illud futurum *vocabitur* seu erit in carne humana. Eadem solutio dari potest ad argumentum.

Dices 2. In generatione Christi secundùm carnem Spiritus S. supplevit vices Patris. Ergo Christus D. ob id dicitur Filius Dei quia de Spiritu S. conceptus, ut arguit quidam Arrianus. ℞. Supplevit quoad efficaciam & virtutem, sed non quoad substantiæ communicationem, id quod ad veram generationem necessarium.

Difficultas Nona.

V. In Divinis sit alia processio à generatione Verbi?

TRibus modis unum est alio. 1. secundùm essentiam. Sic quælibet res est in se ipsa. 2. per similitudinem. Sic res cognita est in cognoscente. 3. per propensionem & inclinationem. Sic in igne est quodammodo locus

cus sursum ratione levitatis, secundum quàm habet propensionem ad locum sursum, & quandam proportionem & convenientiam cum tali loco. V. D. Th: contra Gentes l. 4. c. 19.

Inter ea verò quæ sunt in intellectu & voluntate hæ sunt differentiæ 1. Quæ sunt in intellectu sunt notiora existentibus in voluntate. Hinc existentia in intellectu nominantur proprijs terminis. Verbum, species expressa. &c. Ea verò ut terminus intra voluntatem productus, nomine proprio carent: & sic nomine communi appellantur. sc. amor, affectio, impulsus, inclinatio, propensio &c. Et propterea Persona procedens per intellectum habet proprium nomen, sc: Verbum. Procedens verò per voluntatem dicitur, Amor, Dilectio, Donum, Spiritus, quæ secundùm se, sunt communia omnibus Personis.

2. Differentia. Terminus productus intra intellectum habet rationem similitudinis, & est imago rei intellectæ. Terminus productus intra voluntatem non habet rationem similitudinis sed impulsûs, inclinationis, quibus voluntas fertur in rem amatam.

3. Terminus productus intra intellectum, & est terminus intellectionis, & habet, tum nomen, tum modum termini, ut patet de verbo. Terminus verò existens intra voluntatem licèt sit verè terminus, non tamen habet nomen & modum termini: significatur enim in aliud tendens, quæ est natura viæ & non termini.

4. Terminus productus intra intellectum est objectum intellectûs. Productus intra voluntatem non est objectum voluntatis. Objectum enim voluntatis est bonum extra voluntatem, ut patet de avaro.

Pro notitia hujus differentiæ, scias ex Philippo à SS. Trin: 22. summæ Philosophicæ q. 44. a. 2. §. *ad cujus evidentiam.* Verbum mentale dupliciter potest esse obje-

ctum.

ctum. 1. quatenus est res talis, sc: qualitas spiritualis perficiens intellectum & ejus actum. Hoc modo non est objectum, nisi actûs reflexi. 2. quatenus est imago & similitudo objecti exterioris. Et hoc dupliciter, vel in actu signato considerando in verbo rationem similitudinis. Et hoc est etiam contemplari verbum, ut quædam res est. Et sic non cognoscitur nisi reflexè. Vel ut est imago in actu exercito, prout sc: exercet munus repræsentandi, & ut sic intellectus fertur in verbum directè eodem actu, quo intelligit rem verbo repræsentatam. Et propterea illâ cognitione non potest discerni inter verbum & rem verbo repræsentatam, sed ad hoc discrimen necessarius est actus reflexus.

5. Differentia. Intellectus trahit ad se res intellectas, quarum specie informatur. Voluntas potiùs trahitur per impulsum ad rem volitam.

6. Licèt intellectus sit naturaliter propensus in suum objectum, in hoc tamen non movetur motu impulsivo. Secus voluntas. Ratio. Quia intellectus fertur in objectum habendo hoc intra se repræsentatum in verbo, voluntas verò fertur in objectum habendo hoc extra se. Et sic amor est motus impulsivus voluntatis in objectum seu rem amatam. Et hæc ultima, explicat quartam & quintam differentiam.

Dico. In Deo datur alia processio à processione Verbi. Est de fide. Pr. Spiritus S. est alius à Filio secundùm illud Ioannis 14. *rogabo Patrem meum & alium Paracletum dabit vobis.* Ergo patet in Deo dari aliam processionem à processione Verbi. Pr. ex S. Th. loco art. a. 3. In Deo non est processio nisi secundùm actionem immanentem. Sed hæc in natura intellectuali est actio intellectus & voluntatis. Ergo in Deo est processio secundùm actionem intellectûs & voluntatis. Ergo præter processionem Verbi quæ est per intellectum, datur alia per voluntatem.

Pr. 2. ex eôdem S. Th. In nobis secundùm operationem voluntatis invenitur quædam processio sc: amoris secundùm quam amatum est in amante, sicut per formationem verbi res intellecta est in intelligente. Ergo & in Deo secundùm operationem voluntatis invenitur quædam processio alia à processione verbi. Cùm illa, utpote creata, debeat participari ab hac, utpote, Divina. Ant. verò etiam constat. Non minùs enim volitio petit complementum, ac intellectio.

Arg. 1. Vnius naturæ unus tantùm est modus communicandi se ipsam. Quia actiones sumunt unitatem & distinctionem à termino, qui hic & nunc est natura. Sed natura Divina est una. Ergo uno tantùm modo se communicat sc: per intellectum.

℟. Major non verificatur in natura infinitè perfecta. Itaque sicut datur duplex actio ad intra, datur etiam duplex communicatio naturæ Divinæ: quia per quamlibet actionem ad intra communicatur natura Divina. Quicquid enim in Deo est (ob summam perfectionem) Deus est. Quod non currit in creatis. Licèt enim in homine dentur multæ actiones, non tamen tot communicationes naturæ: cùm non per quamlibet actionem communicetur natura. Non enim quicquid producitur in homine homo est.

Arg: contra prob. D. Th. q. 4. de veritate a. 2. ad 7. docet quòd in intellectu procedat aliquid non solùm per modum operationis, sed etiam per modum operati, in voluntate verò procedit aliquid solùm per modum operationis. Ergo per voluntatem non producitur aliquis terminus. ℟. P. M. Zumel S. Thomam non negare per operationem voluntatis produci terminum, sed solùm negare talem terminum habere modum termini: cùm in aliud (utpote impulsus) tendat.

QUÆ-

QVÆSITVM I.

V. per omnem actum voluntatis producatur terminus intra voluntatem?

R/. quòd sic. Cùm quilibet actus exigat habere suum complementum. Itaque etiam per actum odij producitur intra voluntatem terminus, quo voluntas perfectè recedit ab objecto sibi disconvenienti. Item per actum tristitiæ, producitur terminus quo voluntas perfectè recedit ab objecto lætitiæ. &c. Et licèt per actum amoris res amata sit præsens amanti imperfectè tamen, & sic necessarius est aliquis terminus. Immo similem terminum per actum appetitûs sensitivi produci solet concedi. Potentijs tamen naturalibus non conceditur talis terminus productus: cùm earum inclinatio non sit actus elicitus, sed solius naturæ pondus.

Dices 1. S. Th. in 3. d. 8. q. 1. a. 1. ad. 8. ait. *Dicendum quòd quamvis Spiritus S. procedat vivens ex vivente, non tamen hoc convenit secundùm rationem suæ processionis: procedit enim ut amor, amor autem consideratus in genere, inquantùm amor non habet quòd sit res viva, sed operatio, vel passio rei viventis, habet tamen quòd sit res viva & subsistens inquantùm est amor Divinus, & ideò non dicitur nasci.* Ex quibus sic arguitur. Amor in genere inquantùm amor non habet quòd sit res viva, sed tantùm quòd sit operatio vel passio rei viventis. Ergo in voluntate creata non producitur aliquis terminus. Conseq. patet. Quia terminus productus per actionem vitalem debet esse res viva, sicut terminus productus per intellectionem, quia est actio vitalis, est res viva.

R/. D. Thomam non negare per dilectionem terminum vitalem produci, immo affirmare, dum dixit: sed operatio vel passio rei viventis: quibus utrumque amorem de-

claravit & activum nomine operationis & productum nomine passionis; non tamen appellavit prædictum terminum rem vivam ex vi processionis: quia appetitivum ex hoc quod appetitivum est, cùm non constituat specialem gradum vitæ, etiam ex propria linea, rem vivam non habet producere, sed tantùm quid consecutum ad rem vivam. Quod non currit de intellectivo: quod cùm ex proprijs gradum vitæ constituat, similiter ex proprijs potest termino à se producto gradum vitæ communicare. Quòd autem appetitivum gradum vitæ non constituat sicut intellectivum, docet S. Th. 1. p. q. 78. a. 1. in fine O

℟. ergo ad arg: N. conseq. ad pr. N. ant. res enim viva per se, solùm habet procedere per actionem, cujus radicale principium est specialis gradus vitæ, vel est vita primariò. Appetitivum autem neque est specialis gradus vitæ, neque est vita primariò, sed tantùm secundariò: & sic nequit radicare primariò processionem, per quam procedat res viva, sed tantùm habet radicare aliquid quod sequitur ad rem vivam, quale est impulsus & amor. Ita in terminis P. M. Vinc: Ferre in M. S. Ex quibus infert processionem Spiritûs S. per D. Thomam in sententijs, non esse generationem, quia ex proprijs non est processio viventis à vivente. Addit: plures Recentiores ita sentire.

Dices 2. Amor beatificus non producit impulsum, sicut visio beata non producit verbum. Ergo resolutio quæsiti non est universalis. ℟. det P. Gonet: dans disparitatem. Quia impulsus non petit esse ejusdem naturæ cum objecto amato. Quia voluntas non est assimilativa, & ideò non repugnat impulsus productus erga summum bonum: Verbum autem id postulat & ideo in visione beata repugnat. Ita cit: D. de visione Dei disp. 2. a. 2. §. 2. Ex his patet, impulsum procedere ex verbo, vel ex gerente vices verbi. Et sic licèt in visione beata

non producatur verbum, ipse tamen Deus unitur mentibus beatorum supplendo vices verbi.

QVÆSITVM II.

Quibus nominibus gaudet terminus intra voluntatem productus?

℟. dicitur *Pondus*, ut est principium compellens voluntatem in rem amatam. Amatum enim est in amante, quòd amans trahatur ad rem amatam, non quod amatum trahatur ab amante, ut refert P. M. Zumel in præsenti ex Capreolo, Cajet: & Ferrariensi. 2. Dicitur *affectio*, quatenus actum amoris modificat. 3. Dicitur *nexus*, quatenus unit amantem cum re amata. 4. Dicitur *impressio*, quatenus imprimit ut sigillo amatum in amante. &c.

Difficultas Decima.

V. Processio Amoris sit generatio?

℟. quòd non. Ita fides ut canit symbolum D. Athanasij. Patet etiam ex 1. & 3. S. Ioannis ubi Christus D. dicitur Vnigenitus. Si autem processio Spiritûs S. esset generatio, Christus D. non diceretur unigenitus.

Pr. ex S. Th. 1. p. q. 27. a. Intellectus fit in actu per hoc quòd res intellecta sit in eo secundùm suam similitudinem, voluntas verò per hoc, quòd inclinetur in rem volitam. Sed quod attenditur secundùm similitudinem habet rationem generationis, quod verò attenditur secundùm inclinationem non habet rationem generationis. Ergo processio per intellectum quæ est verbi est generatio, processio verò per voluntatem, ut est Spiritûs S. non est generatio. Major desumitur ex differentia inter intellectum & voluntatem. Min. quod 1. p. pr. Omne

enim generans generat sibi simile. Quoad 2. Nomine enim inclinationis designatur quædam motio & impulsio, prout aliquis ex amore dicitur moveri & impelli ad aliquid faciendum, & non designatur similitudo.

Dico 2. Non ideò Spiritus S. distinguitur à Filio, quia hic accipit naturam sub conceptu naturæ, hoc est foecundam & productivam alterius suppositi, non verò Spiritus S. oppositum docet Alensis. Richardus de S. Victore, Major & alij. Pr. De ratione Filij non est fœcunditas productiva alterius suppositi. Theologi enim disputantes an si Spiritus S. non procederet à Filio, quærunt an distingueretur ab illo. Ergo supponunt in data hypothesi remansurum Filium. Ergo non est de ratione Filij fœcunditas productiva alterius suppositi.

Item, malè explicatur conceptus naturæ per fœcunditatem productivam alteriùs suppositi. In Deo enim ut uno non est vis productiva alteriùs suppositi ad intra, & tamen in eo salvatur conceptus naturæ, sicut salvatur ratio vitæ substantialis, quæ includit rationem naturæ; cùm dicat ordinem ad operationem.

Dico 3. Non est concedendum Spiritui S. communicari naturam ex vi processionis, & sic procedere formaliter similem suo principio. Est contra Canariensem. Tunc autem communicatur natura formaliter & ex vi processionis, quando actio ex sua essentiali ratione est ordinata ad communicandam naturam.

Pr. Hoc ipso quòd Spiritus S. accipiat naturam ex vi processionis, & sit similis suo principio ex vi processionis, sequitur quòd sit imago naturalis ejus à quo procedit, licèt non procedat per intellectum. Sed ad generationem sufficit ratio imaginis. Ergo si prædicto modo procedit Spiritus S. est genitus. Ma. patet. Filius enim in creatis sortitur rationem imaginis naturalis licèt non procedat per intellectum, eò quòd ex vi suæ processionis

accipiat naturam Patris & procedat similis in natura. Alij modò distinguentes processionem verbi, à processione Amoris adducuntur à Philippo à S. Trin: & ut insufficientes reijciuntur.

Nostra ergo sententia est in hoc distingui has processiones: quòd in processione Verbi communicetur natura ex vi talis processionis, & sic verbum ex vi suæ processionis & formaliter procedat simile in natura: in processione autem Amoris non communicetur natura ex vi talis processionis, & sic Amor ex vi suæ processionis & formaliter non procedat similis in natura. Hic modus patebit ex solutione argumentorum.

Arg: contra 1. Ad Hebræos 1. Christus D. dicitur primogenitus Dei. Ergo datur alius genitus, qui non est alius nisi Spiritus S. Confirmatur impugnando 1. prob. Salomon Prov: 4. dicitur Unigenitus coram matre sua, & tamen ex eadem habuit alios fratres, ut habetur 2. Reg. c. 1. Ergo Filium Dei vocari unigenitum, non infert Spiritum S. non esse Filium. ℟. In dicto loco sermonem esse de Christo D. ut homine (ut explicat Concilium Ephesinum) qui dicitur primogenitus inter plurimos fratres ordine dignitatis. Ad confirmationem dico Salomonem fuisse unigenitum ex ea quæ fuit Uriæ: nam natus ex adulterio, mortuus. Reliqui quorum meminit Scriptura fuêre adoptivi, ab Uria geniti. Ita Abulensis. Lyranus & Galatinus apud Lao in præsenti.

Arg: 2. Definitio generationis convenit processioni Amoris. Amor enim in Divinis procedit à Patre & Filio viventibus, conjunctis & est similis in natura. Ergo &c. ℟. N. ant. Licèt enim Spiritus S. procedat similis in natura realiter & identicè, non tamen formaliter & ex vi processionis. Hinc processioni Spiritûs S. non convenit definitio generationis. Definitio enim sumenda formaliter.

Arg: 3.

Arg: 3. Quod procedit in Deo ut Amor procedit in similitudinem naturæ: aliàs procederet ut quid extraneum, & non ut quid Divinum. Ergo processio Amoris est generatio. 2. Divina processio est Divinæ substantiæ communicativa. Processio autem Amoris ad intra est Divina. Ergo Divinæ substantiæ communicativa. Ergo est in similitudinem Divinæ substantiæ. 3. Amor Divinus non procedit ut creatura, sed ut Deus, ut persona Divina (persona autem cùm sit naturæ rationalis individua substantia exprimit naturam) Ergo Amor Divinus procedit ut similis in natura. Ergo ut genitus. Ergo &c.

℞. N. Ant: ad pr. N. sequelam. Quia licèt Amor ex vi processionis non procedat ut similis in natura, sed ut quidam impulsus, ejusdem tamen est naturæ. Quia quicquid in Deo est Deus est.

Ad 1. Conf: Divina processio est Divinæ substantiæ communicativa; sed realiter & identicè tantùm: cùm quicquid in Deo est, Deus sit. Nisi sit processio Divina per intellectum, quæ est Divinæ substantiæ ex sua ratione essentiali communicativa.

Ad 2. dic. Verum est quòd Amor non procedat ut creatura non tamen ut Deus ex vi suæ processionis, sed solùm realiter. Ex vi tamen suæ processionis procedit ut inclinatio perfectissima. Amor Divinus &c. Adverte ly Divinum non significare rationem constitutivam Divinæ naturæ, sed tantùm rationem entis increati transcendentis essentiam, relationes & attributa.

Adverte etiam licèt hæc concedatur: Spiritus S. non procedit ut Deus: hæc tamen neganda procedit ut non Deus. Quia in prima non negatur absolutè Deitas, sed ex vi processionis: in secunda verò (ut consideranti patet) negatur absolutè Deitas.

Ad 3. Nego Amorem Divinum procedere ut personam. Solùm enim (cùm sit Amor perfectissimus) ex vi suæ processi-

processionis accipit subsistentiam relativam, non tamen ut constituentem personam, sed suppositum. Quia persona constituitur subsistentiâ relativâ modificante naturam Divinam. Spiritus autem S. accipit subsistentiam relativam ut modificantem amorem absolutum, seu impulsum in objectum amatum. Et sic Spiritus S. ex vi suæ processionis procedit ut subsistens in amore, ut subsistens verò in natura, materialiter & identicè. Et sic Spiritui S. priùs communicatur attributum amoris quàm natura Divina: non quidem sub nomine & conceptu attributi, sed cujusdam perfectionis Divinæ præscindentis à præfato munere.

Et sic quando dicitur, attributa radicantur in natura. Ergo priùs communicatur natura utpote radix. ℟. det P. M. Ferre in M. S. attributa sub munere attributi radicari in natura, secùs considerata tantùm sub munere Divinæ perfectionis. Exemplificat in quantitate quæ in productione substantiæ secundariò fit & habet munus proprietatis, in sui verò augmento, dum primò fit, amittit munus proprietatis.

Arg: 4. De ratione processionis amoris est similitudo, secundùm illud Ecclesiastici 13. *Omne animal diligit sibi simile.* Ergo processio Amoris in Deo est generatio. ℟. d. ant. est similitudo formaliter N. A. Causaliter. C. Inquantùm similitudo est causa amoris. Et sic Amor Divinus, qui est Spiritus S. non est dicendus genitus.

Arg: 5. Omne agens intendit producere sibi simile. Ergo & agens per voluntatem. Ergo processio per voluntatem est secundùm similitudinem. Ergo generatio. Ergo terminus ejus genitus. ℟. A. esse verum quando agens agit per virtutem proximam destinatam ad communicandam naturam, qualis virtus in Deo est intellectus & non voluntas.

Arg: 6. Quicquid habet Spiritus S. per processionem

volitivam habet ex vi talis processionis. Idem enim videtur esse, habere aliquid per actionem & ex vi actionis. Sed per processionem volitivam habet naturam Divinam. Ergo & ex vi processionis. ℞. N. Ma. Nam Eva per productionem de costa Adæ fuit similis in natura humana Adæ, non tamen fuit similis ex vi talis productionis, aliàs fuisset filia Adæ. Quare id habetur ex vi processionis ad quod communicandum essentialiter ordinatur actio. Hoc autem in præsenti est attributum amoris Divini. Ex hac solutione patet quid dicendum ad aliud argumentum, cujus hoc medium: quicquid habet Spiritus S. formaliter, habet ex vi processionis.

Per dicta non negatur aliqua perfectio Spiritui S. negando esse genitum. Una enim & eadem perfectio in Divinis est generare, generari, spirare, spirari. Cùm ista omnia sint una essentia, una perfectio sub distinctis relationibus.

Hæc de hac difficultate probaliliter: de qua S. Aug L. 3. contra Maximinum Arrianum c. 14. *Distinguere inter illam generationem & banc processionem non valeo, non sufficio.* & D. Damasc: l. 1. Orthodoxæ fidei c. 10. *Inter generationem & processionem differentiam didicimus, sed quis modus differentiæ sit, nequaquam.* Mag: sent: 1. d. 13. *Inter generationem verò Filij, & processionem Spiritûs S. dum hic vivimus distinguere non valemus.* Sed hæc procedunt de differentia evidenter assignabili.

Difficultas Vndecima.

V. Sint plures processiones in Deo quàm duæ?

Dico quod non. Est de fide Pr. ex S. Th. 1. p. q. 27. a. 5. Processiones in Deo non accipiuntur nisi secundùm actiones immanentes. Hæ autem tantùm sunt duæ sc: intelligere & velle. Sentire enim est extra naturam intelle-

ctuale-

ctualem. Secundùm omnipotentiam verò processio non est ad intra, sed ad extra. Vel dicas processiones ad intra iam dictas, comprehendi sub omnipotentia, ut cum Nazario docet Philippus à SS. Trin: disp. 12. de SS. Trin: dub. 5. S. Thomas in oppositum relatus loquitur de omnipotentia absolutè & non notionaliter accepta.

Arg: 1. probando pauciores excludendo processionem per voluntatem. Potentia quæ fertur in objectum, non ut tale objectum est intra potentiam, sed ut est extra in se ipso, nullum producit terminum. Sed voluntas fertur in res, non ut sunt in voluntate, sed ut sunt extra in se. Ergo nullum producit terminum. ℟. N. Ma. Quia voluntariam.

Arg: 2. Ideo intellectus producit aliquid per modum termini, quia trahit res ad se. Sed voluntas trahitur à rebus, & non trahit res ad se. Ergo non producit aliquem terminum. Ergo nulla datur processio per voluntatem. ℟. Ideo intellectus producit terminum, qui est similitudo objecti, quia trahit res ad se. C. Ideo simpliciter loquendo. N. Quia dato quòd non attraheret res ad se, adhuc intellectio exigeret complementum.

Arg: probando plures. Nam bonitas videtur esse principium processionis. Cùm bonum sit sui diffusivum. ℟. Bonum non pertinere ad operationem, sed ad essentiam. Nisi dicamus, Deum diligendo suam bonitatem producere Amorem.

Quòd autem nos plura verba & amores formemus hoc provenit ex imperfectione nostra. Non enim omnia uno actu intelligimus & amamus.

QVÆSITVM.

V. Processiones ad intra plusquàm numero distinguantur?

℟. quòd sic. Ita S. Thom. de potentia q. 10. a. 2. in O.

bis. *Differentia inter Divinas processiones oportet quòd sit non solùm sicut ea quæ differunt numero tantùm, sed etiam sicut ea quæ differunt specie. Cùm una sit generatio, altera non.* Pr. Nam habent distinctos formaliter terminos. Generatio enim pro termino formali habet naturam sub conceptu naturæ. Spiratio: sub conceptu impulsûs. Talis tamen differentia non est propriè specifica. Cùm ratio generis & differentiæ in Deo locum non habeant, ut aliunde suppono.

DISTINCTIO SECUNDA.

De Relationibus Divinis.

Difficultas Prima.

V. In Deo dentur Relationes reales?

Dico quòd sic. Est de fide. Pr. ratione S. Th. 1. p. q. 28. a. 1. in argum. sed contra. Si in Deo non essent relationes reales, Pater, Filius, Spiritus S. qui important relationes, non essent in Deo realiter. Sequela pr. Deus est Pater relatione Paternitatis. Filius relatione Filiationis. Spiritus S. relatione spirationis passivæ. Ergo si hæ non essent in Deo realiter, Deus non esset realiter Pater, Filius, Spiritus S.

Pr. ratione in O. Inter ea quæ sunt ejusdem ordinis & unum realiter ab alio procedit est relatio realis. Sed in Deo una persona procedit ab alia, & sunt ejusdem ordinis. Ergo inter personas Divinas est relatio realis. Min: patet. Major declaratur. Quia non alia ratione ponitur relatio inter patrem & filium in creatis, nisi quia sunt ejusdem ordinis & unus procedit ab alio. Inter ea enim quæ sunt diversi ordinis, ex parte illius quod est ordinis superioris non est relatio realis, realis tamen ex parte al-

terius

terius extremi. Et propterea relatio Dei ad creaturas, secundùm D. Th. 1. p. 28. a. 1. ad 3. non est realis.

Quæ relationes in Deo cùm sint subsistentes, hoc est, in linea substantiæ completæ, non dicunt respectum ad subjectum, sed tantùm respectum ad terminum. Nec est inter eas oppositio nisi relativa. Contradictoria autem oppositio, qualis est inter esse & non esse, solùm involvitur seu implicatur, inquantùm Filius non est Pater. Quæ contradictio est sine imperfectione. Secus esset si hæc oppositio esset inter esse & purum non esse, seu non fundatum in aliquo esse.

Arg: 1. Deus dicitur realiter Dominus sine relatione reali dominij, per potentiam realem dominativam, & per relationem realem existentem in creatura. Item Christus D. dicitur realiter Filius B. V. M. sine relatione reali creata Filiationis, per hoc quòd secundùm naturam humanam realiter procedat, & per hoc quòd relationem realem in B. V. M. existentem terminet. Ergo & Deus poterit dici realiter Filius, per hoc quòd realiter à Patre procedat, & quòd relationem realem in Patre existentem terminet.

℟det Philippus à SS. Trin. Relationes Divinæ constituunt Personas, & sic debent esse reales. Relatio dominij non constituit personam Divinam, nec filiatio humana constituit Personam Christi, & sic non debent esse relationes reales. Secundùm hanc solutionem intelligenda est ratio S. Thomæ.

Arg: 2. Relatio est aliud. Nam totum relationis est ad aliud se habere. Sed in Divinis non est aliud & aliud: in hoc enim erravit Arrius. Ergo nec relatio realis. ℟. Licèt in Divinis non reperiatur aliud substantivè, secus, adjectivè, ut concedit S. P. Aug: de fide ad Petrum c. 1. ibi. *In Sancta Trinitate aliud est genuisse, aliud natum esse.*

Adverte. Aliud neutraliter & substantivè sumptum denotat alietatem simpliciter & absolutè convenire illi cui tribuitur: cùm sic accipiatur per se stantis & sine consortio alterius cui adjacet. Hæc alietas non est in Deo. Aliud sumptum adjectivè, v. g. *Pater est aliud suppositum*, non denotat alietatem simpliciter, sed determinatam sc: suppositi: cùm adjectivum non accipiatur per se stantis sed cum consortio rei cui adjacet. Ita S. Th. in 1. d. 9. q. 1. a. 1.

Difficultas Secunda.

V. *Divinæ relationes non solùm secundùm* In *seu secundùm quod includunt essentiam, sed etiam secundùm quod dicunt* Ad, *seu secundùm quod respiciunt terminum, sint reales?*

SCias 1. Relatio Divina dicitur habere *in*, quia in Deo est & non extra Deum. Nec refertur ad extra sed ad intra. Et sic ly *in* non significat inhærentiam: cùm in Deo nullum sit accidens. 2. Relatio, uno modo sumitur communissimè & in tota latitudine, ut abstrahit à reali & rationis. Alio modo sumitur specialiter, ut contrahit ens reale. 3. Relatio rationis est verè relatio quod non fit in alijs generibus. Nam qualitas v. g. rationis non est verè qualitas. Et hoc vult D. Th. 1. p. q. 28. a. 2. in O dum dicit. *Solùm in his quæ dicuntur ad aliquid inveniuntur aliqua secundùm rationem tantùm & non secundùm rem, quod non est in alijs generibus: quia alia genera, ut quantitas, qualitas, secundùm propriam rationem significant aliquid alicui inhærens.*

Dico. Relationes Divinæ etiam secundùm *Ad* sunt reales. Capreolus & Cajet: in oppositum relati possunt ad bonum sensum reduci. Pr. Personæ Divinæ distingvuntur realiter penes relationes ut dicunt *Ad* distinctum ratione

ratione ab *in*. Ergo secundùm *Ad* sunt reales. Consequentia. Quod enim est causa distinctionis realis, est reale. Ant. pr. Personæ Divinæ distingvuntur relationibus ut sunt oppositæ. Sed sunt oppositæ secundùm *Ad*. Ergo distingvuntur relationibus secundùm *Ad*.

Arg: S. Th. q. 2. de Potentia a. 2. dicit. Relatio secundùm rationem sui generis non habet quòd sit aliquid. Ergo &c. ℟. S. Th. loqui de relatione communissimè sumpta ut abstrahit à reali & rationis: non verò de relatione determinatè sumpta, qualiter sumpta habet esse reale ratione sui. Si ratione fundamenti, radicaliter tantùm.

Arg: 2. Relationi secundùm *Ad* non debetur modus essendi per se: quia non est substantia. Nec modus essendi in alio: quia secundum *Ad* non respicit subjectum sed terminum. Ergo secundùm *Ad* non est realis. ℟. Licèt relationi communissimè sumptæ non debeatur modus essendi in alio, secus, ut constituit prædicamentum. Loquor hac in responsione de relatione creata. Hic tamen modus essendi in alio non importatur in relatione explicitè sed implicitè. Sicut & modus essendi per se non importatur in relatione Divina nisi implicitè. Et per hoc explicatur quædam authoritas S. Th. in qua dicit relationem non significare inhærens, sed extrinsecè affixum.

Ad illud verò, quòd relatio secundùm *Ad* non respiciat subjectum sed terminum, dic: non respicit subjectum ut perficiat, sed ut referat. Quo relatio distinguitur ab alijs prædicamentis.

Difficultas Tertia.

V. Relatio in Deo sit idèm quod Essentia?

RElatio prædicamentalis distinguitur realiter à subjecto cui inhæret V dicta in N. Summa Philosophica 3. p. dist.

p. dist: 6. diff: 6. & Philippum à S. Trin: 3. p. Summæ Philos: q. 15. a. 5. Ratio sumitur ex P. Mailhat p. 1. Summæ Philos. disp. 9. sect: 5. Nam quæ sunt à parte rei primò diversa, realiter debent distingui: decem autem prædicamenta seu suprema genera, inter quæ numeratur relatio, sunt à parte rei primò diversa, seu habent essentias realiter diversas, & in nullo univocè convenientes. Quid verò nomine distinctionis, & quotuplex distinctio, vide etiam dicta in N. Summa Phil: p. 1. dist: 1. diff: 3.

Dico 1. Relationes Divinæ non distingvuntur realiter ab essentia Divina. Nec sunt ei extrinsecùs affixæ: Hæc conclusio est definita in Concilio Rhemensi sub Eugenio 3. contra Gilbertum Porretanum. Hic suam sententiam in Concilio Rhemensi fertur revocâsse. In hoc ergo Concilio definitum fuit tres Personas Divinas esse unam substantiam Dei, & relationes esse Deum, quod cum distinctione reali ab essentia stare nequit.

Pr ex S. Th: 1. p. q. 28. a. 2. Relationes Divinæ adorantur cultu latriæ, secundùm illud, *& in personis proprietas, & in majestate adoretur æqualitas*. Ergo relationes in Deo sunt realiter Deus. Ergo identificantur Deitati. Ergo &c.

Dico 2. Inter relationes & essentiam Divinam non est distinctio realis modalis. Pr. Constans ex re & modo actu distinctis est compositum ex re & modo (sicut id quod constat ex pluribus in eodem supposito rebus, est compositum ex re & re) Sed Deus ob suam purissimam simplicitatem non est compositus ex re & modo. Ergo non constat ex re & modo actu, & à parte rei distinctis. Ergo inter relationes Divinas & essentiam non datur distinctio realis modalis. Notanter addidi ly *in eodem supposito*. Licèt enim in Deo sint plures personæ, non tamen Deus est compositus.

Ulterius.

Ulterius. Licèt ex re & modo non sit compositio ex his: est tamen compositio cum his. Implicat enim unum esse unitum, vel quasi unitum alteri, & non componere. Cùm componere cum alio sit cum eo ponere, & compositio sit distinctorum unio. Et sic Christus D. est persona composita per hoc quòd verbum Divinum ponatur simul cum humanitate per unionem.

Hæc differentia inter præfatas compositiones. Compositio ex his tunc est, quando ex duobus extremis unitis resultat tertia entitas, sicut ex materia & forma resultat totum, In compositione verò cum his non resultat tertium, sed unum cum alio componit, respectu cujus se habet ut terminus. Talis compositio est naturæ cum subsistentia.

Distinctio modalis inter essentiam & relationes ad intra quæ tribuitur Durando, non est talis, qualis v. g. est inter mobile & motum, sedentem & sessionem. Cùm hæc realiter adæquatè distinguantur. Tum quia separantur. Tum quia unum non prædicatur de alio. Relatio autem, quam Durandus vocat modum habendi essentiam Divinam, nec realiter adæquatè distinguitur ab essentia, & de ea prædicatur essentia Divina, ut se explicat Durandus in 1. dist: 33. q. 1. §. ad 2. *rationem* n. 35. & §. *Alij dicunt quòd relatio. n. 28. circa finem.* & d. 35. q. 2. §. Responsio. n. 4.

Patet ergo: Theologos dicentes sententiam Durandi esse pejorem sententiá Gilberti Porretani, non esse audiendos. Hic enim in re ipsá tantùm vult relationem & essentiam distingui realiter inadæquatè, ut expresè loquitur loco cit. §. *ad 2. rationem. n.* 35. Pro hac sententia citat nonnullos ex antiquis §. *Quidam dicunt n.* 26.

Distinctio realis inadæquata & per non convertentiam sic explicatur apud Durandum loco cit: §. *Quidam enim dicunt n.* 26. Nam paternitas est essentia & nihil aliud:

sed essentia Divina est paternitas & aliqua res, quæ non est paternitas: quia est filiatio quæ non est paternitas. Et sic essentia est in plus quàm paternitas, &c. Et licèt hunc modum videatur distinguere à distinctione reali modali & formali ex natura rei, deinde tamen §. *alij dicunt quòd relatio &c. n. 38.* in fine ista tria confundit. Ex his patet: distinctionem realem inadæquatam iam explicatam esse minorem distinctione totiùs à partibus seorsim acceptis. Cùm hæc ad invicem non prædicentur. Secundùm Durandum autem, essentia realiter (licèt non formaliter) prædicatur de paternitate, ut patet ex §. *ad rationes alterius partis n. 34. circa medium*: ibi. *Et idem intelligunt illi, &c.* & ex §. *ad 2. rationem n. 35.*

Dico 3. Licèt, dum inter naturam Divinam & paternitatem v.g. ostenditur contradictio, V. g. natura communicatur, paternitas non communicatur, recurratur ad tertium, sc: filiationem, cui natura communicatur, non verò paternitas, inconvenienter tamen dicitur, naturam Divinam distingui realiter mediatè à paternitate, seu in tertio, sc: filiatione. Nam contradictionem agnoverunt Theologi, non sunt tamen ausi inferre distinctionem realem in tertio, sed communiter appellant distinctionem rationis, ut patet ex Concilio Florentino sess: decimâ nonâ ante medium, ibi. *Ne tamen re hac differre putetis, sed apprehensione tantùm & intelligentiâ.* Vbi sermo est de hypostasi & natura, an re vel ratione differant.

Dico 4. Relatio & essentia distingvuntur ratione ratiocinatâ. Pr. In relatione importatur respectus ad oppositum, qui non importatur in essentia. Ergo saltem ratione ratiocinatâ distingvuntur.

Arg: contra 1. Secundùm S. Aug: relatio in Deo non dicitur secundùm substantiam. Ergo distingvitur realiter à substantia seu essentia Dei. ℞. ex S. Th. 1. p. q. 28. a. 2. ad 1. S. P. Aug: solùm intendit, quòd relatio in Deo

non

non prædicetur secundùm modum substantiæ sc: ut existens in eo de quo dicitur, sed ut ad alterum se habens.

Arg: contra conc: 2. Omnis differentia quæ non est purè & præcisè secundùm rationem, sed est ex natura rei excluso omni actu rationis, est aliquomodo realis. Sed differentia essentiæ & relationis in Divinis non est purè & præcisè secundùm rationem, sed est ex natura rei excluso omni actu rationis, Ergo talis differentia est aliquomodo realis. *Ita arguit Durandus l. c. § tertium autem n. 25.* ℟. Differentia essentiæ & relationis sumpta pro oppositione prædicatorum Divinorum, non est secundùm rationem, sumpta autem pro distinctione est secundùm rationem. Prædicata enim opposita salvantur per distinctionem rationis & ejus fundamentum quæ est distinctio virtualis. Pro hac solutione Dionysius Carthusianus in 1. d. 2. q. 2. circa finem refert & sequitur S. Thom. & Richardum. Ex hac solutione patet quid dicendum ad aliud Durandi l. c. §. *Quantùm ad tertium n. 25.*

Arg: 2. contra eandem. Quæ non identificantur aliquomodo realiter, distingvuntur aliquomodo realiter. Sed relatio non identificatur cum essentia aliquomodo realiter. Ergo distinguitur ab essentia aliquomodo realiter. Minor, Relatio v. g. Paternitatis non identificatur cum omni eo cum quo identificatur essentia: nam non identificatur cum filiatione & spiratione passiva. Ergo relatio non identificatur cum essentia aliquomodo realiter.

℟. dist. Min. Relatio non identificatur cum essentia aliquomodo realiter, ut essentia importatur per ly res quæ est essentia. C. Min. ut essentia importatur per nomen essentiæ præcisè. N. Min. In prima enim acceptione importatur essentia & relatio, in secunda, sola essentia & prædicata absoluta. Et sic sine dubio relatio v. g. pater-

 nitatis

nitatis non identificatur adæquatè cum essentia primo modo accepta. Cùm essentia sic importet Filiationem.

Arg: contra pr. 2. conc. Non omnis distinctio rationis facit compositionem rationis, ut patebit ex diffic. 5. Ergo nec omnis distinctio realis facit compositionem realem.

℞. Distinctio rationis facit compositionem si extrema se mutuò excludant, ut fit in distinctione reali adæquata. Quia autem Durandus relationem & essentiam non distinguit realiter adæquatè, ideo probatio hunc non urget, sed qui realiter modaliter adæquatè distinguit. Et sic probatio ex 4ta conc. sumenda. Et aliàs stante distinctione aliquomodo reali inter relationem & essentiam non salvatur perfectissima simplicitas.

Arguitur 3. contra eandem. Suppositâ contradictione inter relationem & essentiam, v. g. essentia communicatur, relatio non communicatur, est distinctio realis: cùm quælibet res distinguatur realiter à suo contradictorio, sicut distinguitur realiter à negatione sui. ℞. ad pr. Quælibet res distinguitur realiter à suo contradictorio immediato, secus mediato. Est autem contradictorium immediatum, negatio nudè accepta & sine aliquo addito. Mediatum verò est etiam negatio non præcisè & sine addito accepta, sed fundata in positivo. qualis est negatio communicationis fundata in relatione paternitatis. Mediata contradictio non est rigorosè contradictio, quia negatio non cadit supra idem secundùm idem. v. g. natura communicatur, relatio non communicatur. Eadem argumenta fieri possent in favorem distinctionis realis in tertio.

Solvuntur argumenta contra tertiam.

Arg: 1. Quomodo Deus dicitur trinus, & Deitas trina, eodem modo dicitur distinctus & distincta. Cùm trinum, quâ tale, importet distinctionem. Sed Deus dicitur trinus & Deitas trina, non secundum se & immediatè (quia

sic est

sic est unus & una) sed mediatè & ratione trium personarum quibus identificatur. Ergo eâdem ratione Deus dici potest distinctus & Deitas distincta mediatè ratione unius personæ ab altera, quod est distingui in tertio prædicato Deitatem.

℟. N. Ma. Nam ly trinus, utpotè terminus numeralis derivativæ speciei appellat supra supposita & ea numerat. v. dicta 1. p. N. Summæ Philosophicæ dist. 9. diff: 7. Ly verò distinctus, cùm in præsenti censeatur esse terminus absolutus, sicut ly æternus in symbolo Divi Athanasij, appellat supra formale sc: Deitatem & hujus simplicitatem tollit. Et sic patet quid ad probationem. Nam verùm est, ly trinum importare distinctum, sed cum variatione appellationis. ℟. ad Min. Sine periculo erroris dici potest Deus immediatè trinus; cùm tantùm fiat appellatio, & numerus, supra personas.

Immò hæc: *Deitas est mediatè trina*, nequit esse in usu. Quia sicut hæc: *Deitas trina* facit sensum, *Deitas in tribus Personis una*, ita hæc: *Deitas mediatè trina* facit sensum, *Deitas mediatè in tribus Personis una*: quod est falsum; est enim immediatè & ratione sui talis, sc: ex se una in tribus. Tandem N. Cqm. in vi doctrinæ in majori datæ. Et sanè hæc malè sonat: *Deitas mediatè distincta.* Ly enim *distincta* cadit supra Deitatem, & hujus medijs personis, simplicitatem tollit.

Ad argumentum quòd solet ab Adversarijs proponi, non sequi ex distinctione reali in tertio pluralitatem Deitatum; dic. Tolli summam simplicitatem. Si distinctio cadit supra naturam.

Arg: 2. Eo modo essentia Divina dicitur distincta realiter à Patre, quo modo dicitur genita. Sed hoc dicitur de natura mediatè & ratione Filij, spectando essentiam ut est identificata Filio. Ergo etiam dicitur distincta realiter mediatè à Patre. Min. S. Ignatius Martyr in epistola

F 3 ad Ma-

ad Magnesianos, vocat essentiam Divinam *genitam*. S. Anselmus in Menologio c. 43. dicit *natam essentiam de Patris essentia*. S. P. Aug: 5 de Trin: c. 14. dicit. *Verbum Dei Deus de Deo, essentia de essentia*. S. Hilarius L. 9. de Trin. *Ex eo ejusdem generis genitam in se naturam, naturaliter in se gignentem se habuisse naturam*. Quæ cùm nequeant de natura immediatè dici mediatè saltem.

℞. ad min: SS. Patres de essentia transcendentaliter & amplissimè sumpta intelligendos esse: sumptâ essentia pro constitutivo, qualiter essentia non solùm relationibus ad intra, sed & peccato ad extra convenit. Nisi aliud expressè sensus suadeat. ℞. 2, ex Carthusiano in 1. d. 5, q. 1. sequente Vdalricum, præfatas authoritates non extendendas, sed explicandas per improprietatem loquendi, qualiter si tantùm loqvuntur Adversarij, nihil evincunt secundùm proprietatem sermonis. Et sic per naturam genitam intellige, naturam per generationem communicatam. Per naturam gignentem intellige principium, *Quo* radicale generationis.

Quando verò S. Hilarius 4. de Trinit: ait. *Nihil habet Filius nisi natum*, sic explicat Magister Sent: *Nihil habet nisi quod nascendo accepit*. Quando etiam idem S. P. l. 9. de Trin: dicit; *cùm ex innascibili Deo nativitas unigenita* (id est Vnigenitus Dei Filius) *in naturam unigenitam subsistat*: vocat naturam unigenitam, quia per unicam generationem communicatam, Ita Ægidias apud Carthusianum loco cit. Patet ergo responsio ex antiquis Theologis ad citatas authoritates, & non est necessarium recurrere ad novam. Sed quando dicitur: *Deus de Deo essentia de essentia Patris*. quomodo intelligendum? vide dicenda infra de Personis in comparatione ad actus notionales diff, 1. dist. 9,

Arg: 3. S. Aug. L. de medit: c. 30. ait, *Divinitas Personarum pluralitate multiplex*, quæ locutio non intelligitur de di-

de distinctione immediata naturæ Divinæ. Ergo intelligitur de distinctione mediata seu ratione Personarum, quæ est distinctio in 3. Nec enim potest poni alia distinctio realis, nisi immediata vel mediata. ℟. S: P. loquitur de multiplicitate secundùm connotata, qualiter anima rationalis in se una, est multiplex secundùm connotatum capitis & pedis. Et sic distinguo consequens. Ergo intelligitur de distinctione mediata, sumpta pro distinctione secundùm connotata. Concedo. Secus, N. Consequentiam. Et sic nihil novi nisi verba.

Arg. 4. Sancti Patres docent Personas Divinas identificari realiter in tertio prædicato sc: natura Divina. Ergo etiam dici potest, quòd natura Divina ab una Persona distinguatur realiter mediatè in altera Persona tanquam in tertio prædicato. Consеq. patet. Antec. pr. ex S. Nazianzeno orat: 37. dicente. *Unitatem habere quamlibet Personam, non minùs cum ea, qua cum conjungitur, quam secum, propter essentiæ & potentiæ identitatem.* Ad confirmandum idem, refertur S. Basilius in oratione contra Sabellium.

℟. SS. Patres solùm intendunt Personas Divinas identificari secundùm denominationem intrinsecam Dei: quælibet enim est idem Deus, propter eandem naturam divinam. Non autem intendunt identificare attendendo rationes particulares, etiamsi tantùm mediatè, propriè loquendo, & à fortiori, ut secum Persona Divina identificatur. Sic enim tolleretur Ssma Trinitas, licèt beneficio tertij. Aliam solutionem vide d. 4. diff. 1. ad 1.

Arguitur 5. Distinctio realis Deitatis à Patre mediata, seu in 3. prædicato, nihil aliud est, nisi naturam ita identificari Patri, ut tamen eadem natura per identitatem includat Filium qui realiter distinguitur à Patre, sed naturam sic identificari est de fide. Ergo & præfata distinctio mediata est de fide. Hoc argumentum habet quandam similitudinem cum sequenti. Distantia animæ rationalis

onalis à capite mediata, & in tertio prædicato, nihil aliud est, nisi animam ita uniri v. g. capiti, ut tamen eadem anima uniatur pedi, qui distat à capite. Sed animam sic uniri capiti est certum apud Philosophos. Ergo eadem certitudine certum est animam distare à capite mediatè. Sicut ergo hæc distantia est solùm secundum connotata, ita distinctio mediata. ℞. directè. Licèt hæc definitio sit distinctionis realis mediatæ seu in tertio attendendo phrasim Adversariorum sic præfatam distinctionem nominantium, (quâ etiam phrasi uti possunt ponentes distinctionem virtualem & formalem ex natura rei) attendendo tamen tenorem verborum conclusionis & probationes plùs intenditur. v. g. in conclusione dicitur. *Si natura Divina sumatur ut præcisa ab omnibus Personalitatibus distinguitur ab illis ratione solâ. Si sumatur ut identificata uni alicui Personalitati, tunc ratione hujus Personalitatis, tanquam ratione tertij prædicati mediatè distinguitur realiter, tum ab altera Personalitate, tum à duabus, tum à tribus. Vbi NB. ultima verba ex se sonant mediatam, & ratione alteriùs, in natura Divina, veram distinctionem. Sicut verba exprimentia mediatam rei productionem, sonant in re, veram productionem.* In definitione autem solùm denotatur distinctio in 3. tanquam in connotato.

Accedit. Prædicta definitio non tam videtur definitio quàm id ex quo deducitur distinctio realis mediata. Nam dicendo: natura Divina ita identificatur Patri ut includat realiter Filium, qui realiter distinguitur à Patre, non tam exprimitur distinctio realis mediata naturæ à Patre, (nam sic eam omnes Theologi viderent) quàm ab Adversarijs infertur. Inconvenienter tamen: nam Filius non potest tribuere realitatem distinctionis naturæ, à Patre, nisi fortè ad instar extrinsecæ, & secundùm connotatum. Ita ut præfata realitas sit intrinsecè in Filio, denominando Filium distinctum, & eadem sit per Filium in natura tanquam

per

per connotatum, Sed hic modus loquendi est improprius. Sicut & pes nequit tribuere realitatem distantiæ, animæ rationali à capite nisi extrinsecam & secundùm connotationem, ita ut realitas distantiæ sit intrinsecè in pede comparato ad caput, & eadem sit in anima prout in capite, extrinsecè per pedem. Qui modus loquendi de distantia est improprius. Convenientiùs dicerent Adversarij dicendo: naturam Divinam à Patre distingui in tertio, hoc est, Filio, vel formaliter ex natura rei vel virtualiter; cùm in Filio exerceatur oppositio naturæ cum Patre. Attamen in sententia utriusque Scholæ ante intelligentiam tertij est formalis Scotistica vel virtualis Thomistica. Sed hæc non est distinctio. Aliàs daretur media. Sed fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ. Item, dum dicunt Adversarij in probatione naturam Divinam mediatè genitam, consequenter mediatè relativè oppositam: tenor verborum sonat naturam, in sua entitate, licèt mediatè, multiplicatam.

Arg: 6. Includens & inclusum distingvuntur realiter inadæquatè: ut patet de toto & parte totius. Sed Deitas est includens, Paternitas, inclusa. Ergo Deitas & Paternitas distingvuntur realiter inadæquatè Ergo in tertio. Cùm non magis obsit simplicitati distinctio realis inadæquata, quàm realis in tertio.

℟. N. Ma. Ob ineffabilem in Ssma Trinitate simplicitatem. Arg: 7. Quando duo prædicata ita se habent, ut unum dicat per identitatem realem aliquid plùs realiter distinctum à tertio prædicato, tunc primum prædicatum distinguitur a secundo, in eo quod plus dicit, tanquam in tertio. Sicut quia homo dicit plùs realiter distinctum à corpore sc: animam, dicitur distingui realiter à corpore in anima tanquam in tertio. Sed Deitas & Paternitas ita se habent, ut Deitas per identitatem realem dicat realiter distinctum à Paternitate sc: Filiationem. Ergo De-

itas à Paternitate distinguitur realiter in Filiatione. ℟. Major salvatur per distinctionem virtualem in Deo ob maximam simplicitatem.

Dices. Magis Deitas includit Filiationem, quàm homo animam. Ergo si homo distinguitur realiter inadæquatè à corpore in anima, tanquam in tertio prædicato, à fortiori distinguetur Deitas à Paternitate realiter inadæquatè in Filiatione, tanquam in tertio prædicato. ℟. N. Cqm. ob majorem simplicitatem. Hinc unum saltem realiter, dicitur de alio, quod non est de homine & anima.

Arg: 8. Talis est distinctio inter extrema, qualis est inter illa negatio. Cùm distinctio, saltem in re, sit negatio. Sed non generare, quod dicitur de natura Divina, non virtualiter sed realiter negat generare, quod dicitur de Patre. Ergo inter non generare quod dicitur, de natura, & inter generare quod dicitur de Patre, & sic inter naturam Divinam & Patrem, intercedit distinctio, non virtualis, sed realis, non immediata, sed mediata.

℟. Ad Maj. Talis est distinctio qualis est negatio inter extrema, sumptâ distinctione pro negatione identitatis, verum est, secus, pro oppositione seu potiùs pro inclusione oppositorum; hæc enim salvatur per distinctionem rationis & fundamentum hujus, ut dixi ad 1. contra 2. conc. Immo argumentum probat distinctionem realem immediatam. Nam natura (etiam ut in Patre, propriè loquendo) immediatè non generat. Pater immediatè generat. Dices. Ad salvanda prædicata contradictoria immediata, sufficit distinctio realis in tertio. sic dicitur. Homo est immediatè mortalis, anima rationalis non est immediatè mortalis, & tamen homo non distinguitur ab anima nisi in tertio, id est, corpore. ℟. dicta contradictoria non esse contradictoria; quia hæc debent esse, de eodem omnino realiter. Et sic nec esse immediata contradictoria. Aliàs & hæc essent talia: homo est totum, anima non est totum.

Aliud

Aliud argumentum probans hanc distinctionem mediatam non obesse Divinæ simplicitati, sicut identitas mediata Personarum non obest Personarum distinctioni, solutum est supra, § *ad argumentum*: post solutionem ad 1. Et in responsione ad quartum.

Item aliud, fundatum in hoc principio: *implicat idem esse & non esse.* Nam hoc principium procedit de eodem, secundùm idem, prædicato. Item dicendum: implicat idem realiter, immultiplicatum virtualiter, esse & non esse. Cæterum hoc non esse, debet fundari in positivo, sicut v.g. non generare fundatur in essentia. Non esse enim in nullo fundatum positivo, distinguitur realiter, distinctione sibi debitâ, à re positiva, ut mors & vita. Principium: *Quæ sunt eadem unitertio, sunt eadem inter se*, explicabitur, agendo de distinctione relationum ad invicem.

Solvitur argumentum contra ultimam.

Concilium Rhemense sub Eugenio tertio celebratum, dicit. *In Theologia inter essentiam & personam ratio non distinguat.* ℞. Concilium his verbis tantùm proscribit errorem Gilberti, qui duplicem distinguebat rationem. Vnam Mathematicam, quæ per mentem præscindit, & distinguit ea quæ non sunt realiter distincta, Alteram Theologicam distinguentem ea tantùm, quæ in re distincta sunt: dicebatque relationes Divinas sic esse distinctas. Vnde Concilium proscribendo hunc errorem, præfata verba posuit.

Difficultas Quarta.

V. Inter relationes & essentiam detur distinctio formalis Scotistica?

NOmine hujus distinctionis intelligitur distinctio aliqua, quæ est à parte rei actualiter ante omnem operationem intellectûs, quæ tamen non est distinctio realis pro-

priè accepta (secundùm scholam Doctoris Subtilis) nec est rationis, & propterea vocatur ex natura rei. Hanc ex Pontio Scotista definit in M. S. quidam Doctissimus Professor. sc: Distinctio formalis ex natura rei est *quâ duæ res realiter indistinctæ distingvuntur ante operationem intellectûs.* Nec tamen sequitur sententiam Scoti.

Dico ergo cum communi Theologorum, negativè. Pr. ex Conc: Florentino sess: 18. in qua Ioannes Latinus Theologus dicit. *Divina substantia & persona re quidem sunt idem, secundùm autem modum intellectionis nostræ differunt. Hoc statim Marcus Græcus Theologus concessit.* Confirmavit Andreas sess. 9. dicens. *In communi tum Græcorum tum Latinorum Doctorum Theologia, multùm differt simpliciter proferre Divinam substantiam, vel Patris Filijque substantiam* (hoc est, subsistentiam, ut ibi explicat,) *haud quamquam tamen eò proferre debetis ut re differant: quandoquidem solâ ratione ac intelligentiâ differre creduntur.* Vbi ne quis dicat, *differre solâ ratione* idem significare ac differre solâ ratione formali à parte rei, consulto additum est, *ac intelligentiâ, vel secundùm modum intellectionis nostræ.*

Pr. ratione. Quod constat pluribus formalitatibus ex natura rei distinctis, est compositum ex natura rei: sicut constans pluribus entitatibus realiter distinctis est compositum realiter. Sed Deus ob suam summam simplicitatem, non est compositus ex natura rei. Aliàs non esset simplex ex natura rei. Ergo inter essentiam & relationes non datur distinctio formalis ex natura rei. Eandem rationem insinuat Dionysius Carthusianus in 1. d. 2. q. 2. circa finem.

Arg: 1. Quæ distingvuntur ex definitione distingvuntur ex natura rei. Cùm definitio explicet naturam rei. Sed relatio & essentia distingvuntur ex definitione. Ergo & ex natura rei. Min. Quia essentia definitur in ordine ad se. Relatio ad aliud. ℟. Cùm definitiones non

fiant

fiant actu nisi beneficio intellectûs distinguentis ea, quæ sunt à parte rei distincta. hinc fit quòd aliqua habeant diversas definitiones, solùm arguit distinctionem virtualem, seu fundamentalem, quâ positâ, indistincta realiter, intellectus actualiter distinguit, & deinde aliâ & aliâ definitione definit.

Distinctio virtualis, quæ est fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ, consistit in hoc, quòd eadem indivisibilis entitas ita se habeat ad prædicata contradictoria acsi esset realiter multiplex, quæ tamen non sunt in toto rigore talia: cùm non sint de eodem secundùm eandem rationem.

Arg: 2. Natura Divina omnibus Personis Divinis communicatur, secus relatio v, g. Paternitatis. Ergo inter hanc & illam est saltem distinctio formalis ex natura rei. Saltem enim hanc exigunt prædicata contradictoria. ℞. Ad salvanda prædicata contradictoria sufficit distinctio virtualis. Et licèt sint prædicata contradictoria actu non verò distinctio, non obstat: quia inter hæc non exigitur commensuratio. Aliàs cùm contradictio sit realiter actu, etiam deberet esse distinctio realis actu. Vide dicta 3. p. N. Summæ Philosophicæ dist: 5. diff: 2.

Difficultas Quinta.

V. Tanta sit identitas formalis inter essentiam & relationes, ut essentia sit de conceptu quidditativo relationum & vice versa.

SEnsus est utrùm quando cognoscimus relationem Divinam ex parte objecti attingamus essentiam. Et vice versa. Scias etiam essentiam Divinam duobus modis concipi posse: 1. conceptu transcendentali, ut præcisè dicit rationem entis increati & actûs puri, quæ in omnibus perfectionibus Divinis transcendentaliter includitur: si-

cut ens creatum transcendentaliter se habet ad substantiam & accidens, & ad omnes perfectiones creatas. 2. sumitur quatenus est radix divinarum perfectionum & relationum.

Dico 1. Essentia Divina est de conceptu quidditativo relationum. Et hoc ob summam & infinitam Dei simplicitatem. Sicut ob transcendentiam entis ens est de conceptu quidditativo inferiorum entis. Colligitur ex S. Th. 1. p. q. 33. a. 3. ad 1. dicente. *Communia absoluta includuntur in intellectu propriorum. In intellectu enim persona Patris includitur Deus.* Pr. Relatio non præscindit perfectè ab essentia Divina. Ergo hæc includitur in conceptu quidditativo relationum. Hoc enim tantùm sensu loquimur. Pr. A. Si relatio præscinderet perfectè ab essentia Diuina persona Divina componeretur methaphysicè ex relatione & essētia Divina, qualiter homo cōponitur ex animali & rationali. Quod præjudicat infinitæ simplicitati. Sequela Ibi enim est vera compositio methaphysica, ubi sunt distinctæ virtualiter & ratione ratiocinatâ, rationes, inter se coordinatæ quarum una non includit aliam, sed perfectè præscindit ut patet de animali & rationali.

Hâc ratione probatur non solùm essentiam transcendentaliter acceptam esse de conceptu relationum, sed etiam quatenus est natura & radix divinarum operationum. in hac 2da parte non concordant Thomistæ.

Dico 2. Relationes sunt de conceptu quidditativo essentiæ Divinæ. In hac etiam non concordant omnes Thomistæ. Colligitur ex S. Th. 1. p. q. 39. a. 6. ad 2. ubi docet hanc propositionem: *Deus est Pater.* non minùs esse per se, quàm istam, Pater est Deus. Et sic cum posterior sit per se in primo modo, quia prædicatum est de essentia subjecti, ut patet ex dictis, idem dicendum de priori.

Pr. De conceptu quidditativo essentiæ Divinæ est esse commu-

communicatam. Ergo de eodem conceptu sunt relationes quibus communicatur. Ant. De conceptu quidditativo essentiæ Divinæ esse infinitè bonam &c. Ergo communicatam.

Dices. Hoc probari essentiam Divinam esse communicabilem, non quidem ad intra sed ad extra.

Contra. Tanta, imò major est exigentia, relationum ad intra, quàm creaturarum ad extra. Ergo si de ratione Divinitatis est esse communicabilem ad extra à fortiori ad intra. Quo concesso dicendum est de conceptu essentiæ esse non tam communicabilem ad intra quàm actu communicatam. Aliàs pro aliquo signo intelligeretur cum fundamento & perfecta præcisione, non cum omni complemento suæ perfectionis.

Adverte. Essentiale seu de conceptu quidditativo in præsenti non dicitur illud quod est constitutivum metaphysicum, sed quod essentiæ Dei impræscindibiliter convenit. Et ratio est: nam propter impræscindibilitatem non dicitur advenire essentiæ Divinæ nisi secundùm majorem expressionem.

Arguitur 1. S. Thomas q. 8. de Potentia a. 2. ad 6. negat has prædicationes esse per se & in sensu formali. *Essentia est Paternitas. Paternitas est essentia.* Ergo nec essentia est de conceptu relationum, nec vice versa. Aliàs si unum esset de conceptu alterius, dictæ prædicationes essent per se. Cùm quicquid est de conceptu alicujus prædicatur de illo per se.

℞. S. Thomam negare has prædicationes esse per se attendendo expressionem & modum significandi; Non autem negat, attendendo rem significatam.

Arguitur 2. sed specialiter contra 1. Paternitas secundùm esse relativum non est in Filio. Ergo Paternitas quâ talis non includit essentiam. Aliàs si includeret quâ talis, esset in Filio, sicut essentia est in Filio. ℟. N. Conseq.

Sicut enim compatitur me habere aliquid per quod distinguor ab alio; hoc tamen includat rationem entis communem alteri distincto: Sic etiam compatitur Paternitatem distingui à Filio, attamen includere id quod est commune Filio.

Arguitur 3. cum Isamberto. Determinatum non continetur in conceptu determinantis, ut est in animali & rationali. Sed essentia determinatur & modificatur per relationes. Ergo essentia non continetur in conceptu relationum. ℞. Major est vera de determinatione propria, secus, quæ tantùm fit per majorem expressionem, qualiter minùs explicitum determinatur per magis explicitum.

Arg: 4. Si Paternitas v. g. includit in suo conceptu essentiam. Ergo hæc vera formaliter, *Paternitas est essentia.* Si concedis. Ergo & hæc: Pater intelligit Paternitate, sicut intelligit essentiâ. ℞. hanc non posse concedi Pater intelligit Paternitate, eò quòd reduplicetur in ea explicitè Paternitas, & distinctio virtualis ab essentia. Pater autem non intelligit, etiam remotè tantùm, eo, quod concipitur ut distinctum ab intellectu & essentia.

Arguitur 5. Sed contra 2. S. Th. 1. p. q. 33. a. 3. ad 1. docet communia esse de conceptu propriorum, sed non è converso. Ergo secundùm S. Doctorem, relationes Divinæ quæ nomine propriorum veniunt, non sunt de conceptu essentiæ.

℞det P. M. Herrera S. Thomam solùm negare propria esse de conceptu communium ut perfectiones, non verò ut terminos.

Arg: 6. Essentia præintelligitur relationi. Ergo hæc non est de conceptu illius. Non enim posterius est de conceptu prioris. ℞. Licèt essentia præintelligatur relationi secundùm modum significandi, in quantum priùs concipimus absoluta: non tamen attendendo rem significatam.

Arg: 7.

Arg: 7. Relatio oppositum includit essentiæ. Hæc enim est communis, non illa. Ergo non includitur in conceptu essentiæ. ℞. Licèt relatio, ob hanc rationem, non involvatur in conceptu essentiæ ut perfectio essentialis, includitur tamen ut determinatio, seu potiùs, ut terminatio essentialis. Id P. M. Herrera in præsenti vocat essentiale, quod essentiæ impræscindibiliter competit.

Arg: 8. Si relatio v. g. Paternitatis est de conceptu essentiæ, sequitur, Patrem non totam rationem essentiæ, communicasse Filio. Cùm non communicaverit Paternitatem quæ est de conceptu essentiæ. ℞. Si loquamur de essentia ut comprehendente omnia quæ sunt ad intra, verum est. Quando verò Concilia docent, totam essentiæ rationem communicatam, loquuntur de essentia ut comprehendente absoluta.

Arg: 9. Si essentia includit impræscindibiliter, v. g. Paternitatem, sequitur illam ut includentem Paternitatem esse in Filio, & sic & Paternitatem esse in Filio. Ubicunque enim reperitur aliqua forma, reperitur & id quod est de ratione & conceptu illius. ℞. hoc verificari in perfectionibus non verò in modis & determinationibus seu potiùs terminationibus. Sic licèt ens reperiatur in omnibus, modi tamen à quibus ens non præscindit, & qui sunt de conceptu entis non reperiuntur in omnibus. Dictis non aliud intenditur, nisi quòd præcisiones objectivæ non dentur in Deo. V. dicta 3. p. N. Summæ Philosophicæ dist. 5. diff: 3.

Difficultas Sexta.

V. Relationes Divinæ ut dicunt Ad *importent perfectionem, quæ sit relativa?*

PErfectum primò accipitur generaliter seu communiter, secundùm quam rationem tantùm dicit integritatem

prædicatorum essentialium & consequentium, qualiter, etiam peccatum est perfectum. 2. ut importat materiam determinatam bonitatis vel virtutis. Hoc 2. sensu procedit difficultas.

Dico ergo negativè. Ita communiùs Thomistæ contra Clitovæum supra D. Damascenum, Hervæum, Opatovium & alios. Pro nobis tamen stat ex eadem Academia Cracoviensi Makovius in 1. p. trac. 6. disp. 4. q. 1. a. 1. Corollario 4. Colligitur ex S. P. Aug. l. 7. de Trin. c. 1. & 6. ubi ait, bonitatem & magnitudinem perfectionis in Divinis, non relativè sed ad esse dici. Et D. Th. q. 2. de Potentia a. 4. ad 14. dicente: *Sicut Paternitas in Patre, & Filiatio in Filio, sunt una essentia, ita & sunt una dignitas & una bonitas.*

Pr. perfectio est alicujus subjecti vel quasi subjecti perfectio. Sed relatio ut præcisè dicit *Ad*, nullum respicit subjectum vel quasi subjectum, sed tantùm terminum. Ergo relatio secundùm *Ad* non dicit perfectionem. Perfectionem inquam relativam, ratione distinctam ab absoluta.

Pr. 2. Si relatio diceret propriam perfectionem, eadem perfectio, quæ esset in una persona non esset formaliter in alia. Ex quo sequitur Personas Divinas non esse æquales formaliter in perfectione, sicut & relationes (supposito quòd dicant perfectionem) non sunt æquales formaliter in perfectione. Relationes enim Divinæ sunt quasi specie distinctæ. Res autem specie distinctæ non sunt æquales in perfectione. Sunt enim sicut numeri, qui non sunt æquales in perfectione essentiali.

Arg.: contra 1. pr. Actio transiens ut actio non respicit subjectum cui inest, sed terminum productum, & tamen est perfectio agentis. Item Deus est perfectio universi, & tamen non inest. Ergo & relatio secundùm *Ad* licet non respiciat subjectum vel quasi subjectum quod afficiat.

ficiat, dicet perfectionem. Eò quòd sit quædam actualitas & realitas.

℟. Actio transiens in quantùm respicit terminum non dicit perfectionem, sed ut est operatio emanans ab agente. Secunda pars non est ad propositum, cùm loquatur de perfectione extrinseca, nos de intrinseca. Deinde Deus inest rebus non ut causa formalis sed effectiva. Vide Manuale P. Gonet circa primam probationem.

Arg: contra 2. pr. Licèt humanitas Christi D. dicat perfectionem realiter distinctam à Divina, Christus tamen D. qui comprehendit utramque, non est perfectior solâ Divinâ perfectione. Et hoc ideo: quia continet eminenter humanam. Sed & perfectio relativa v. g. Filiationis ratione essentiæ continet eminenter aliàs perfectiones relativas. Ergo licèt ponatur relationem propriam perfectionem importare, non sequitur omnes plùs perfectionis, unâ solâ, importare.

℟dent aliqui N. Min. Essentia enim continet eminenter relationem quatenus est radix relationis, Essentia autem ut est in Filio non est radix relationis Paternitatis. Et sic ut in Filio non continet eminenter illam.

℟dent alij, assignando rationem quare Christus D. ut constitutus ex humanitate non sit perfectior solâ Divinitate, quia Divinitas ita eminenter continet humanitatem, ut etiam contineat formaliter quicquid perfectionis est in in illa seclusis imperfectionibus. At non ita Filiatio continet formaliter quicquid perfectionis est in Paternitate vel spiratione passiva (supposito quod dicant perfectiones relativas realiter distinctas) unde quicquid sit an contineat illas eminenter, non tamen sequitur quòd Filiatio sit tam perfecta quàm omnes relationes collectivè sumptæ. quia deficit ei modus continendi formaliter aliquas perfectiones, non dicentes imperfectionem.

Dices. Filiatio habendo essentiam Divinam sibi identificatam etiam formaliter continet alias perfectiones relativas, cùm has Deitas sic contineat. ℞. modus continendi formaliter aliud (saltem realiter distinctum) non est mediante alio. Nam continere formaliter aliud est continere rationem formalem illius, quod nequit esse mediante alio. Aliàs Filiatio in Divinis mediante Deitate contineret rationem formalem Paternitatis & prædicaretur de Paternitate.

Arg: 3. S. Damascenus L. 1. de fide c. 11. ait. *In proprietatibus Paternitatis, Filialitatis, Processionis secundùm causam & causale (seu causatum) & personalem perfectionem (id est existentiæ modum) differentiam intelligimus.* Vbi S. Doctor sat apertè indicat perfectionem relativam.

℞deri posset 1. opponendo authoritatem S. P. Aug. supra relatam. ℞det tamen P. Gonet per perfectionem personalem intelligi perfectionem absolutam essentiæ, quæ ut in Personis inclusa, ut ab his diversimodè modificata, seu ut in his diversum habens modum existendi, personalis vocari potest.

Arguitur 4. Perfectio simpliciter simplex est quæ est melior ipsa, quàm non ipsa. Sed meliùs est Deo habere relationes quàm non habere. Ergo relationes sunt perfectiones simpliciter simplices. Ergo addunt perfectionem propriam virtualiter ab absoluta distinctam.

℞. Perfectio simpliciter simplex est quæ est melior ipsa, in se ipsa, quàm non ipsa: non autem quæ est melior alteri. Sicut materia prima, licèt sit melior alteri, quia tamen in se non est melior, non est perfectio simpliciter simplex. Quòd autem non sit melior in se ipsa, patet. Quia comparativus supponit positivum: materia autem prima, licèt sit alteri, hoc est composito bona, non tamen in se est bona: cùm sit pura potentia. In tantùm enim aliquid est bonum in quantùm est actu.

Arg: 5.

Arg: 5. Bonum convertitur cum ente. Sed ens abstrahit à relativo & absoluto. Ergo & bonum. Et sic datur bonum in genere relativo sicut & in absoluto.

℟. bonum convertitur cum ente participialiter sumpto, hoc est, cum ente existente vel ordinem, ratione sui, ad existentiam dicente, non autem cum ente tantùm nominaliter sumpto, hoc est, ut importante solam entitatem vel realitatem. Relationes autem non sunt entia primo modo sumpta: cùm nec propriam habeant existentiam, nec ratione sui dicant ordinem ad existentiam, sed ratione essentiæ inclusæ, Ideo autem relationes ratione sui non dicunt ordinem ad existentiam, quia totum relationis est ordinare ad terminum. Ob eandem rationem licèt relationes sint consonæ, utiles & convenientes personis, non tamen dicunt perfectionem. Non enim omnis convenientia est perfectio nisi sit in actu existentiæ, vel ratione sui dicat ordinem ad existentiam.

Arg: 6. Quicquid in Deo est Deus est. Sed relationes in Deo sunt. Ergo Deus sunt. Ergo dicunt perfectionem. ℟. Dicunt perfectionem sed beneficio essentiæ inclusæ.

Contra. *Ad* Divinum secundùm suum esse explicitum non est creatura. Ergo est Deus, Ergo dicit perfectionem, ratione sui & non tantùm ratione essentiæ inclusæ. ℟. hoc argumento probari plures Deos. Cùm sint plura *Ad*. ℟. N. Conseq. Licèt enim *Ad* Divinum specificativè sumptum sit Deus, non tamen reduplicativè in quantùm ly *Ad* reduplicat rationem formalem *Ad*. Et sic datur, quod secundùm esse explicitum, nec est Deus nec creatura. Cæterum *Ad* sic sumptum adhuc formaliter est Deus (implicitè tamen) ob impræscindibilitatem.

Arg: 7. Relatio ut relatio est volita à Deo: cùm sit objectum voluntatis Dei. Ergo ut relatio est bona & perfecta, Nihil enim potest esse volitum nisi bonum & perfe-

ctum. ℟. Cùm relatio ut relatio non præſcindat perfectè ab eſſentia, eſt volita ob incluſam eſſentiam, & ſic bona bonitate eſſentiæ.

Arg: 8. Perſona divina conſtituitur per relationem. Sed Perſona ſecundùm rationem Perſonalitatis dicit perfectionem. Ergo & relatio. ℟. Perſona divina adæquatè ſumpta dicit perfectionem, ſecus, inadæquatè. Duo enim dicit, primum, quòd ſit per ſe exiſtens in natura divina, ſecundùm, quòd ſit incommunicabilis. Attendendo primum, dicit perfectionem, non verò attendendo ſecundùm. Primum habet à natura divina, ſecundùm à relatione.

Arg: 9. Myſterium Ss. Trinitatis ponit perfectionem ad intra. Hoc autem conſtat relationibus. Et ſic & hæ ponunt perfectionem. ℟. Hoc myſterium ponit perfectionem ſed ſe tenentem ex parte naturæ, quæ ob ſummam fœcunditatem communicatur relationibus. Quibus ſi non communicaretur non eſſet ſummè fœcunda. Ratione cujus arguunt in Deo perfectionem ſed non addunt. Sicut creaturæ poſſibiles arguunt omnipotentiam ſed non cauſant.

Ex his non infertur relationes ad intra dicere imperfectionem, eò quòd non dicant propriam perfectionem. Ratio. Quia non ſunt aptæ habere illam. Sicut lapis non dicitur imperfectus ex eo quòd careat viſu. Quia non eſt natus habere viſum.

Difficultas Septima.

V. Relationes Divinæ habeant proprias exiſtentias?

NOmine exiſtentiæ intelligitur ultima rei actualitas per quam res completè ponitur extra nihil. Entitas enim ut entitas, eſt extra nihil ſolùm vialiter & inchoativè.

choativè. Et sic existentia non est ipsa res actualis, sed actualitas quâ res ultimò sistit extra nihil.

Dico ergo negativè. Patet ex S. Th. q. 2. de Potentia a. 6. *Omne esse in Divinis essentiale est, nec Persona est nisi per esse essentia.* Pr. Concessis in Deo tribus existentijs relativis concedi etiam debent tres æternitates relativæ, quas negat S. Athan. in symbolo. Sequela prob. Concessis tribus existentijs concedi debent tres durationes (cùm duratio sit permanentia rei inesse) Ergo concedi debent tres æternitates. Cum æternitas sit duratio rei Divinæ.

Dices cum Petro Fuliensi in Idæa Theologica, posse in Deo poni tres æternitates relativas. Contra. ut colligitur ex modo loquendi D. Athanasij, eo modo negantur tres æterni quo negantur tres Dii. Ergo eo modo negantur tres æternitates, quo, Deitates. Sed hæ ita negantur ut nullo modo multiplicentur. Ergo idem de æternitatibus.

Arg: 1. Alius est effectus formalis existentiæ in Patre ac in Filio. Cùm Pater per suam existentiam habeat esse à se, Filius ab alio. Ergo alia existentia in Patre alia in Filio. ℞. Licèt existentia ut modificata relationibus Divinis alium & alium effectum formalem habeat, non tamen ut præcisè existentia est.

Arg: 2. Relationes creatæ habent distinctam realiter existentiam ab existentia subjecti. Ergo relationes Divinæ habent distinctam virtualiter existentiam ab existentia essentiæ.

℞. N. Conseq. Nam relationes creatæ sunt quædam accidentia. Et sic non mirum quòd habeant distinctam & accidentalem existentiam ab existentia subjecti, quæ est substantialis. Relationes verò Divinæ sunt substantiales. Et sic possunt eandem habere existentiam quam habet essentia Divina.

Pro solutione aliorum

Esse,

Esse, aut accipitur pro quidditate per definitionem explicata, aut pro existentia, aut pro veritate propositionis. V. g. dum dico, Pater est Deus. Et sic dum S. P. Aug. dicit *aliud est esse Deum, aliud est esse Patrem*, loquitur de esse enuntiationis, & veritate propositionis.

Dum verò Richardus de S. Victore, existentiam incommunicabilem in Deo ponit, pro existentia subsistentiam intelligit. Sic explicandus S. Th. dum q. 9. de Potentia a. 5. plures modos existendi in Deo assignat. Vel loquitur de pluralitate modificationis existentiæ Divinæ per relationes ut ad 1. dixi.

Tandem Cyrillus Alexandrinus l. 1. de Trin. loquens de Patre & Filio: *quòd uterque subsistat propriamque dicatur habere existentiam:* nomine existentiæ intelligit proprietatem personalem ut explicat Philippus à Ss. Trin.

Difficultas Octava.

V. Relationes in Deo distinguantur realiter?

R. quòd sic. Est de fide. Concilium Florentinum sess. 18. sic habet. *Sola namque relatio apud omnes tam Græcos quàm Latinos Doctores Divinâ processione personas multiplicat.* Et sic Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva realiter distingvuntur. Spiratio autem activa à sola spiratione passiva realiter differt.

Pr. ratione S. Thomæ 1. p. q. 28. a. 3. Personæ Divinæ distingvuntur realiter per relationes. Ergo & relationes distingvuntur realiter. Nam propter quod unum quodque tale & illud magis. Ant. verò pr. Personæ Divinæ non distingvuntur per essentiam & attributa: cùm in his conveniant. Ergo per relationes.

Arg: 1. Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Sed relationes Divinæ sunt eædem uni tertio. Ergo sunt eædem inter se. R. cùm S. Thoma loco ait ad 1. Quæ

sunt

ſunt eadem unitertio re & ratione, ſicut tunica & indumentum ſunt eadem inter ſe. Non verò quæ ſunt eadem unitertio ſecundùm rem tantùm.

Dices. Ergo hoc axioma tantùm verificabitur in ſynonimis ut eſt tunica & indumentum, quod eſt ridiculum. Cùm in hoc fundetur ars ſyllogiſtica. ℞. quando S.Thomas docuit hoc axioma verificari in illis quæ ſunt eadem unitertio re & ratione, intendebat ſub tali modo identificationis axioma verificari ut nullam pariat difficultatem. Hinc ſi aliqua non obſtante diſtinctione rationis cum tertio ſunt eadem inter ſe realiter, ſit quia aut inter ſe non opponuntur, ut abſoluta in Deo. Aut ſicut tertium eſt communicabile ita & illa cum quibus tertium identificatur, ut abſoluta in Deo. Aut quia non quomodocunque tertio, ſed perfectè diſtributo identificantur, v. g: abſoluta non quomodocunque eſſentiæ identificantur, ſed ut etiam ad perſonas extenditur.

Arg: 2. Si relationes Divinæ inter ſe diſtinguerentur, darentur in ſyllogiſmo expoſitorio præmiſſæ veræ & conſequentia falſa. V. g. Iſte ſyllogiſmus: hæc eſſentia eſt Pater, hæc eſſentia eſt Filius,ergo Filius eſt Pater, eſt ſyllogiſm' expoſitorius; cùm ſit de ſubjecto & medio ſingulari. Sed præmiſſæ veræ, conſequentia falſa. Ergo ſi relationes &c.

℞. hunc ſyllogiſmum non eſſe expoſitorium. Medium enim; cùm pluribus communicetur, non eſt purè ſingulare. Sumitur ex Cajet. 1. p. 39. q. a. 1. Et propterea docet Capreolus in 1. d. 2. q. 3. Principium in primo argumento adductum, verùm eſt quando tertium eſt omnino ſingulare & incommunicabile, qualiter eſſentia non eſt ſingularis.

Arg: 3. Major eſt oppoſitio contradictoria quàm relativa. Et ſic magis opponuntur produci & non produci, quàm producere & produci. Sed non obſtante primo,

non est distinctio realis inter essentiam & Personam v. g. Filij. Ergo idem de secundo. Ergo Personæ Divinæ, quæ sunt secundùm producere & produci non distingvuntur realiter.

℞. cùm oppositio contradictoria non habeat medium, major est relativâ secundùm rationem oppositionis, non secundùm rationem entis. Quia producere & produci (in nostra hypothesi) est suppositorum (v. g. Patris & Filij) quæ essentialiter sunt incommunicabilia. Accedit: essentiam non produci, Personam v. g. Filij produci, non sunt in rigore contradictoria. Nam licèt sint de eodem realiter, non tamen secundùm eandem rationem.

Difficultas Nona.

V. Spiratio activa differat realiter à Paternitate & Filiatione?

℞ quòd non. Ita communis contra Durandum in 1. d. 13. q 2. & alios quos ibi tacito nomine refert. Pr. ex S. Th. in 1. d. 17. q. 1. a. 1. In Deo omnia sunt unum ubi non obviat oppositio relativa. Inter spirationem autem activam comparatam ad Paternitatem & Filiationem non est oppositio relativa: cùm non procedat ab his.

℞det Durandus l. c. Licèt in Divinis non sit distinctio secundùm supposita, nisi per relationes oppositas, tamen in eodem supposito est realis aliquorum distinctio per disparata.

Contra. Si duæ relationes disparatæ possunt realiter distingui, cur non duæ Personæ per duas relationes disparatas realiter distingui? Et sic si Spiritus S. non procederet à Filio adhuc distingueretur à Filio, quod ipsemet negat Durandus l. c. d. 11. q. 2. Item impugnari potest doctrinâ ad 1. danda.

Argui-

Arguitur. Relationes respicientes terminos primarios adæquatos realiter distingvuntur. Hoc autem habet Paternitas & Spiratio activa. ℞. primam propositionem non subsistere in relationibus in Deo, ubi infinita perfectio, quæ petit identitatem realem nisi impediat oppositio relativa quæ est inter producens & productum.

Arg: 2. Si relatio spirationis activæ non est distincta à relatione Paternitatis & Filiationis, potest de his in abstracto prædicari. Sicut quia essentia, & Paternitas realiter non distingvuntur, de se in abstracto prædicantur. Cùm ly *est* conjungens duo extrema importet identitatem realem.

℞. N. Sequelam. Quia dicendo relatio spirationis activæ est relatio Paternitatis, explicitè importatur distinctio rationis, ob respectum ad distinctos terminos. In relatione quidem Paternitatis ad Filium, in relatione Spirationis activæ ad Spiritum S. hinc una nequit prædicari de alia. Quæ distinctio rationis non importatur explicitè in essentia & Paternitate simpliciter prolatis. Et sic possunt de se prædicari.

Difficultas Decima.

V. In Deo sint tantùm quatuor relationes reales?

DIco. Quatuor sunt in Deo relationes reales sc: Paternitas, Filiatio, Spiratio, Processio. Pr. ratione S. Th. 1.p.q. 28. a. 4. Processiones Divinæ sunt tantùm duæ, vna secundùm intellectum, altera secundùm voluntatem, secundùm quamlibet autem sunt duæ relationes, una principij, altera procedentis. Ergo sunt quatuor. Prima producentis per intellectum, & sic est relatio Paternitatis. Secunda producti per intellectum. & est relatio Filiationis. Tertia producentis per voluntatem & est relatio Spirationis. Quarta producti per voluntatem & est relatio Pro-

cessionis, seu spirationis passivæ. An sint plures examinabitur circa finem, an sc: relatio æqualitatis in Deo sit realis.

Et sic licèt Spiratio activa non distinguatur realiter à Paternitate & Filiatione, ponit tamen in numero cum his; cùm Pater & Filius per illam realiter referantur ad Spiritum S.

Sed pro meliori notitia. Licèt sint quatuor relationes reales, non tamen quatuor realiter; Sic enim omnes distinguerentur realiter: hoc enim importat ly *realiter* additum termino numerali. Et sic ly *reales* non cadit supra numerum, sed relationes, ut sensus sit: relationes, quæ ratione nostrâ, ut distinctæ, sunt quatuor, sunt reales: sicut attributum iustitiæ & misericordiæ, quæ ratione nostrâ, ut distincta, sunt duo, sunt realia.

Et sic Persona constituta per relationem est ulteriùs referribilis per aliam relationem, sed alterius rationis, ut etiam videmus in creatis idem subjectum aliâ & aliâ relatione referri ad distinctos formaliter terminos.

Arguitur tamen. Omnis relatio denominat subjectum vel quasi subjectum. Ergo si sunt quatuor relationes, erunt quatuor relata subsistentia. Cùm relationes Divinæ sint subsistentes. ℟. N. Conseq. Nam idem relatum subsistens, habet plures relationes. Et sic licèt relatio denominet subjectum vel quasi subjectum relatum, non tamen semper relatum subsistens.

Per hoc tamen non concedo, quatuor res in Deo, simpliciter loquendo, nisi cum addito, virtualiter distinctas. Nam multiplicato inferiori multiplicatur superius, eo sc: modo, quo inferius.

Dices. Quælibet relatio est res. Conceduntur quatuor relationes simpliciter. Ergo quatuor res simpliciter.

℟. N. Cqn. Nam ly quatuor variat significationem, potiùs modum significandi. Nam applicatum relationi

non

non necessariò denotat distinctionem realem, sicut dicendo, iustitia & misericordia sunt duo attributa; applicatum verò rei, simpliciter, denotat distinctionem realem, & fit sensus, in Deo dari quaternitatem rerum simpliciter.

DISTINCTIO TERTIA.

De Personis Divinis.

Difficultas Prima.

V. Ratio Personæ sit ponenda in Deo?

PErsona definitur à Boëtio. *Rationalis naturæ individua substantia.* Explicatur à S. Th. 1. p. q. 29. a. 1. *Per ly individua* convenit cum individuo accidentis & cum hypostasi, quæ est individuum substantiæ cujuscunque naturæ etiam non intellectualis, si attendamus propriam hujus nominis significationem, non autem usum loquendi. Per ly *individua substantia* distinguitur persona ab individuo accidentis. Per ly *rationalis* naturæ, ab hypostasi, quæ est individuum substantiale repertum etiam extra naturam intellectualem. Per *substantiam individuam*, intellige, completam & incommunicabilem. Quâ explicatione excluditur à ratione Personæ anima rationalis. Quia est incompleta & communicabilis. Item natura Christi Domini, quæ licèt in ratione naturæ sit completa, non tamen in genere substantiæ. Quia non per se subsistit, sed in alio completiori. Item natura Divina, quæ licèt sit completa, secundùm rationem substantiæ, utpote per se subsistens, pluribus tamen suppositis Divinis est communis.

Ratio personæ ponitur in Deo. Pr. ex S. Th. l.c.a.3. Omne quod perfectionis est, in Deo ponendum est. Sed ratio personæ importat quid perfectissimum in natura se subsistens in natura rationali. Ergo ratio personæ est po-

nenda in Deo. Ly ergo persona & naturam & modum perfectissimum importat, sc: naturam intellectualem & modum per se existendi.

Arguitur 1. contra rationem D. Thomæ, Individuum est propter naturam specificam. Ergo hæc ut finis, est perfectior individuo & personâ. ℟. Individuum est propter naturam ut in individuis existentem, non verò ut abstractam. Eodem modo dic, quando objicitur: natura specifica est perfectior personâ. Ergo persona non importat perfectissimum in natura.

Arg. 2. contra eandem rationem. Personalitas seu relatio non dicit perfectionem. Ergo fundamentum D. Th. nullum. ℟. dicit; saltem absolutam, quam includit.

Contra. Ergo persona significat perfectissimum ratione absoluti & non ratione sui formalis constitutivi: & sic potiùs ratio absoluti quàm ratio personæ in Deo concluditur. ℟. verum est antec: nam persona ratione sui formalis constitutivi dicit incommunicabilitatem, quæ præscindit à perfecto & imperfecto: negandum tamen solam rationem absoluti à D. Th. concludi. Nam ut dicit Cajetanus 1. p. q. 29. a. 3. In Deo non solùm debet esse id quod ratione sui dicit perfectionem, sed etiam id quod nullam dicit ratione sui imperfectionem, perfectionem tamen impræscindibiliter includit: talis autem est modus incommunicabilitatis, personam constituens, & includens naturam Divinam & modum per se existendi. Nec dicit D. Thom. personam ratione sui directi significati significare perfectionem, sed significare id quod est perfectissimum in natura. Hoc autem est verum licèt ratione sui formalis significati non dicat perfectionem.

Diffi-

Difficultas Secunda.

De significato hujus nominis Persona Divina.

SIgnificatum est duplex. Directum; quod significatur in recto. Indirectum, quod significatur in obliquo. Directum duplex. Formale & materiale. Formale in connotativis est forma per modum alteri adjacentis significata. Materiale est subjectum talis formæ. In absolutis formale est illud ad quod significandum nomen est primò impositum. Materiale: in quo formale reperitur, ad quod significandum, nomen per se secundò est impositum v. g. hujus nominis beatitudo formalis, formale significatum est consecutio summi boni. Materiale: visio summi boni. Quia consecutio summi boni in visione invenitur & quasi subjectatur.

2. Relatio in Deo duo importat: & respicere terminum & constituere personam.

Dico 1. Significatum directum & formale hujus nominis Persona in Divinis est aliquid positivum. Pr. Constitutivum formale personæ Divinæ est aliquid positivum. Sicut & persona Divina est aliquid positivum. Ergo & significatum formale, hujus nominis, Persona Divinæ, est aliquid positivum. Patet conseq. Nam significatum directum & formale importat constitutivum formale.

Occurre. Incommunicabilitas importata in significatione personæ, sicut & interminabilitas in æternitate, non sumitur pro negatione, sed pro fundamento negationis, quod est positivum.

Dico 2. Significatum directum hujus nominis Persona Divina non est essentia Divina. Est ex parte contra Magistrum Sententiarum in 1. d. 25 docente personam Divinam simpliciter acceptam significare essentiam: dum autem additur terminus numeralis aut partitivus v. g. di-

cendo

cendo tres personæ, vel alia est persona Patris. alia Filij, alia Spiritûs S. significare hypostasim. Declaratur. Nam significatum directum, nominis *Persona Divina* multiplicatur: essentia autem non multiplicatur.

Dico 3. Significatum directum, hujus nominis, *persona Divina* est relatio: importata essētia in obliquo. Quia significatū directum hujus nominis *persona Divina* multiplicatur. Sola autem relatio multiplicatur. Positio essentiæ in definitione personæ, evincit essentiam saltem in obliquo importari.

Dico 4. Significatum directum formale hujus nominis Persona, attendendo modum significandi, non est relatio per modum relationis significata, sed per modum subsistentis. Neque sic accepta relatio in abstracto sed in concreto.

Pr. 1. pars ex S. Th. 1. p. q. 29. a. 4. in O. ibi. *Hoc nomen persona significat relationem in recto & essentiam in obliquo, non tamen relationem inquantùm relatio, sed inquantùm significatur per modum hypostasis.* Ex qua authoritate etiam patet secunda & tertia conclusio. Hæc eadem prima pars patet ex S. Th. l. c. ad 1. ibi. *Hoc nomen persona dicitur ad se non ad alterum; quia significat relationem non per modum relationis sed substantiæ, quæ est hypostasis.* Et alias si directum significatum hujus nominis *persona* esset relatio sub nomine & conceptu relationis, tunc hoc nomen *persona* relativè diceretur. Et sic sicut dicitur, Pater est Pater Filij, ita dici posset, Pater est persona Filij. Hoc autem pro absurdo habet S. P. Augustinus L. 1. de Trin: c. 6. ibi. *Non placet ut dicamus Patrem personam Filij.*

Quoad 2. p. etiam docetur à S. Th. l. c. in O. ibi. *Relatio per modum relationis significata cadit in rationem personæ in obliquo.* Pr. Forma constituens, solùm in obliquo & indirectè importatur per nomen significans constitutum. Sed relatio in abstracto, ut significatur his nominibus relatio,

Paterni-

Paternitas &c. significatur ut forma constituens. Ergo solùm in obliquo & indirectè importatur per nomen significans constitutum. Quod constitutum est persona. Et sic directum significatum hujus nominis persona, non est relatio in abstracto.

Dico 5. Significatum directum formale hujus nominis *persona* in Deo, est res subsistens, distincta, incommunicabilis alijs suppositis subsistentibus in natura Divina. Relatio in concreto est significatum materiale. Pr. Significatum formale nominis est ad quod significandum, nomen per se primò est impositum: materiale verò in quo veluti in subjecto reperitur formale significatum. Sed subsistens incommunicabile in natura Divina se habet primo modo respectu hujus nominis *persona* in Diuinis, relatio verò, seu potiùs relativum secundo modo. Cùm subsistens incommunicabile in sola relatione reperiatur. Ergo subsistens incommunicabile in natura Divina, est significatum directum formale, relatio verò materiale.

Difficultas Tertia.

V. In Deo secundum se considerato, & ut præintellecto relationibus, detur subsistentia absoluta?

Sicut subsistens in concreto significat per se & non alio existens, ita subsistentia in abstracto significat rationem quâ aliquid per se & non in alio existit. Ita tamen ut perseitas sit significatum formale. Existentia materiale.

Quadruplex est modus essendi per se. Primus est non esse in alio ut subjecto inhæsionis. Hic modus convenit omni substantiæ. Secundus. Non esse in alio ut subjecto inhæsionis & sustentationis. Hic competit animæ rationali. Tertius. Non esse in alio prædicto modo & insuper nec ut pars in toto. Hic convenit naturæ Divinæ ut præintellectæ relationibus. Quartus Non

K esse in

esse in alio omnibus prædictis modis, & insuper non esse in alio ut in supposito. Hic solis suppositis convenit.

Subsistentia, alia est quæ constituit existens ut quod completè. Hæc complet tres primos modos in linea substantiæ. Dici potest perseitas excludens dependentiam in existendo. Alia: quæ constituit suppositum incommunicabile. Ad hanc pertinet quartus modus non essendi in alio. Dici potest perseitas excludens communicationem.

Dico. Subsistentia accepta pro perseitate constituente suppositum incommunicabile omni alteri supposito, non datur in Deo. Pr. Non datur in Deo suppositum absolutum, incommunicabile omni alteri supposito, secundùm Concilium Lateranense negans in Deo quaternitatem Personarum. Ergo non datur in Deo subsistentia absoluta sumpta pro ratione constituente suppositum incommunicabile omni alteri supposito.

An verò detur suppositum absolutum commune tribus suppositis Divinis? negandum est. Nec Dionysius Carthusianus hoc admittit. Solùm enim asserit qui concederet suppositum absolutum, non cogeretur concedere quatuor personas. Cùm suppositum absolutum, utpote commune, non poneret in numero. Tandem concludit: magis Catholicè sonat, negare suppositum commune. Vide citatum Ecstaticum Doctorem in 1. d. 26. q. 7.

Dico 2. Sumendo subsistentiam pro perseitate excludente dependentiam ab alio in existendo, & constituente per se existens ut quod completè, datur in Deo subsistentia absoluta. Ita communiter Thomistæ. Oppositum docet Alensis D. Bonav. & alij. Colligitur ex Epistola Agathonis Papæ, quæ habetur in sexta synodo actione quartâ. *Confitemur trium subsistentiarum sive personarum, unam subsistentiam.* Item ex S. P. Aug. L. 2. de Trin. c. 5. *Omnis res* (intellige substantialis) *ad se ipsam subsistit, quantò magis Deus.*

Deus. Item ex S. Th. in 1. d. 21. q. 2. a. 1. *Natura Divina est in se habens esse subsistens, nullâ intellectâ personarum distinctione.*

Pr. Natura Divina præintellecta relationibus est hic Deus, per se existens, intelligens, & sic operans ut quod. Cùm hæc ad essentiam & non ad relationes pertineant. Sed per se existere, operari u t quod est proprium subsistentis. Ergo patet naturam Divinam præintellectam relationibus esse subsistentem.

Arg: 1. S. Th. in 3. d. 5. q. 2. a. 3. dicit. *Si circumscribatur* (hoc est , removeatur) *à Deo omnis ratio personalitatis, natura neq; erit subsistens in se, neque erit in aliquo subsistente.* Et 3. p. q. 3. a. 2. *Natura Divina non potest esse terminus assumptionis, nisi ratione personæ.* ℞. ad 1. S. Thomas non loquitur de sola circumscriptione personarum, quæ sunt, sed etiam loquitur de circumscriptione seu remotione personæ, quæ ex circumscriptione relationum resultaret. Resultaret autem persona absoluta. Quia natura Divina in tali hypothesi esset incommunicabilis. Ad 2. Quando S. Th. docet naturam Divinam non posse esse terminum assumptionis, loquitur de facto, ut patet ex a. 3. tertiæ Partis citatæ. Quando verò S. Th. alibi negare videtur propriam subsistentiam naturæ Divinæ, loquitur de subsistentia sumpta pro ratione constituente rem alteri incommunicabilem.

Arg. 2. Subsistentia est ultimus terminus naturæ, sicut inhærentia est ultimus modus accidentis. Ergo sicut repugnat accidens inhærens uni subjecto, communicari alteri subjecto, ita repugnabit subsistens aliquâ subsistentiâ communicari alteri subsistenti. Sed natura Divina secundùm omnia prædicata absoluta communicatur. Ergo natura Divina secundùm nullum prædicatum absolutum est subsistens.

℞. d. ant. Subsistentia (de qua loquimur) est ultimus termi-

terminus naturæ, in ordine ad suppositum extraneum C. ant. Intraneum N. ant. Subsistentia ergo absoluta ultimò terminat in ordine ad supposita creata, non Divina, quibus communicatur.

Distinguo etiam consequens. Ergo repugnabit subsistens aliquâ subsistentiâ communicari alteri subsistenti: realiter distincto C. realiter indistincto. N. conseq.

Arg. 3. Omnis subsistentia creata reddit naturam incommunicabilem. Ergo cùm Divina, per creata cognoscamus, idem dicendum de omni subsistentia Divina. Ergo non datur subsistentia absoluta. Hæc enim non facit naturam Divinam incommunicabilem. R. N. Conseq. Cùm enim natura creata propter sui limitationem non possit reperiri in pluribus, hinc omnis subsistentia creata naturam complens, reddit eam incommunicabilem. Quæ ratio non militat in Deo. Cùm natura Divina reperiatur in pluribus personis.

Pro solutione aliorum.

Sciendum 1. Quando dicitur subsistens in aliqua natura est principium *quod* generandi sibi simile, verum est de subsistente incommunicabiliter, non verò de subsistente ut in præsenti loquimur.

2. Non contradicimus Concilijs & SS. PP. Dum enim tantùm triplicem assignant, loqvuntur de relativa.

3. Non sequitur dari quartam personam. Persona enim non per quamcunque subsistentiam constituitur, sed per subsistentiam constituentem rem alteri incommunicabilem.

Difficultas Quarta.

V. Dentur tres subsistentiæ relativæ?

DIco affirmativè. Ita S. Th. 1. p. q. 40. a. 3. ad 2. Colligitur ex sexta synodo generali actione 11. ibi.

Sanctissi-

Sanctissima Trinitas numerabilis facta est personalibus subsistentÿs.

Pr. Subsistentia uno modo, & quidem maximè rigoroso, sumitur pro realitate constituente suppositum incommunicabile omni alteri supposito. In Divinis autem sunt tres tales realitates.

Arg. 1. Subsistere convenit relationi Divinæ per essentiam Divinam, ut solet probari authoritatibus S. Thomæ.

℞. convenit. Sed radicaliter & remotè. Proximè enim relatio Divina subsistit incommunicabilitèr per se ipsam. Vel dic. Relationem subsistere per essentiam Divinam, sumendo subsistentiam pro perseitate independentiæ in existendo: qualiter non multiplicatur in Deo. Hoc sensu S. P. Aug. L. 7. de Trin: negat personis proprias subsistentias relativas.

Et sic relationes Divinæ subsistunt per subsistentiam absolutam aliquo genere subsistendi, non verò omni. Subsistunt enim per subsistentiam absolutam, ut subsistens idem dicit ac independens ab alio, non ut dicit incommunicabile omni alteri supposito. Et sic subsistentiæ relativæ non superfluunt, multò minùs implicant. Quàmvis enim repugnet idem terminari pluribus terminis ejusdem rationis, secus, alterius rationis.

Arguitur 2. Subsistentia absoluta est infinita simpliciter. Ergo per hanc & essentia Divina & relationes subsistunt omnibus modis. Ad quid ergo relativæ? ℞. est infinita simpliciter implicitè, non explicitè. Cùm ex suo conceptu absoluto non explicet modum subsistendi incommunicabiliter, sed solùm impræscindibiliter includit. Hoc autem est secundùm rationem subsistendi esse infinitam intensivè non extensivè.

Arguitur tertiò. Implicat unam & eandem naturam creatam terminari propriâ subsistentiâ quæ est absoluta, & terminari relativâ v. g. subsistentiâ verbi, licèt sint diversi

ordinis. Ergo & implicat naturam Divinam termina ri ſubſiſtentia abſolutâ & relativâ. Ergo ſi illa datur, hæc repugnat.

℟. N. Conſeq. Nam ſubſiſtentia creata reddit rem alteri omnino incommunicabilem. Subſiſtentia verò Divina abſoluta non facit rem omni alteri ſuppoſito incommunicabilem, ſed tantùm creato. Et ſic remanet locus ſubſiſtentiæ relativæ, à qua habet natura Divina, eſſe in perſona Divina.

Arguitur 4. Subſiſtentia nihil aliud eſt quàm ſubſtantialis exiſtentia. Hæc (ut patet ex dictis) in Deo non multiplicatur. Ergo nec ſubſiſtentia.

Negavi Maj. In Summa Philoſophica, de ſubſiſtentia creata. De Divina, diſt. Ma. Subſiſtentia abſoluta nihil aliud eſt quàm ſubſtantialis exiſtentia T. Ma. Subſiſtentia relativa &c. N. M. Exiſtentia enim non dicit incommunicabilitatem, quam dicit ſubſiſtentia relativa.

Pro ſolutione aliorum.

Sciendum 1. Non eſt inconveniens eſſentiam Dei eſſe per ſe & non eſſe per ſe, ſecundùm aliam & aliam rationem. Eſt per ſe, hoc eſt, independens ab alio in exiſtendo. Non eſt per ſe, ut eſſe per ſe ſumitur pro eo, quod eſt incommunicabile alteri ſuppoſito.

2. Subſiſtentia abſoluta non ſubſiſtit per relativam, ſed in relativa. Hæc enim abſolutæ non dat effectum formalem reddendo eam incommunicabilem.

DISTINCTIO QVARTA.

De Pluralitate Perſonarum.

Difficultas Prima.

V. Perſonæ Divinæ ſint plures, & an tantùm tres.

Dico

DIco 1. In Deo sunt plures personæ. Est de fide. Pr. ratione D. Th Persona significat relationem subsistentem in natura Divina. Tales autem relationes plures dantur in Deo, ut magis ex sequenti patebit.

Dico 2. Divinæ personæ sunt tantùm tres, secundùm illud Ioan. ultimo. Tres sunt qui testimonium dant in cælo. Pater Filius, & Spiritus S. Pr. ex S. Th. 1. p. q. 30. a. 2. Personæ in Deo non multiplicantur nisi ex distinctione relationum. Tres autem tantùm sunt in Deo relationes realiter distinctæ: cùm Spiratio activa non distinguatur realiter à Paternitate & Filiatione.

Arg: 1. S. Greg. Nazianzenus relatus à D. Basilio epistolâ 64. dicit: Patrem & Filium esse duos secundùm cogitationem. D. Damascenus L. 2. de fide c. 1. ait: Tres personas Divinas realiter idem esse, distingui verò ratione. ℞. S. Greg. loquitur referendo sententiam hæreticorum. Sic explicat S. Basil. l. c. S. verò Damascenus eas identificat secundùm naturam Divinam, ita ut identitas cadat supra naturam Divinam non supra personas. Dum ait, distingui secundùm rationem, loquitur de relatione comparata ad essentiam à qua ratione differt. Ita S. Th. in 1. d. 25. q. 1. a. 4. & explicatiùs d. 2. q. 2. a. 5. Eodem modo explicandus S. Hilarius à Carthusiano in 1. d. 26. q. 1. relatus, qui dicit, personas divinas solis nominibus differre. Vbi excluditur distinctio realis essentialis non personalis. Unde per nomina intelligit proprietates nominibus designandas.

Arg 2. Infinitum simpliciter, nequit multiplicari. Hâc enim ratione probatur Deum esse unum. Personæ autem Divinæ sunt simpliciter infinitæ. ℞. Has esse infinitas, sed infinitate naturæ Divinæ. Dici etiam potest infinitum secundùm naturam non posse multiplicari, secus de infinito secundùm modum naturæ. Immensitati enim propria infinitas non neganda. Et dato subsistentiam

relati-

relativam (cùm possit infinitas naturas creatas terminare si darentur) esse infinitam infinitate relativâ, non sequitur dicere propriam perfectionem: cùm infinitas sequatur rem cuius est infinitas: quâ ratione peccati mortalis infinitas non est perfectio.

Arg: 3. Concessis in Deo pluribus personis, sequitur dari numerum, quod negat Concilium Toletanum 11. in professione fidei. Ubi dicitur Trinitatem non capi numero. Item, sic daretur in Deo compositio. Totum & pars. Cùm numerus componatur ex unitatibus tanquam partibus,

℟. Alium esse numerum transcendentalem, alium quantitativum seu prædicamentalem. Differentiam utriusque vide in N. Summa Philosophica p. 1. d. 7. diff. 5. Numerus prædicamentalis removetur à Deo, non transcendentalis. Conc. Toletanum solùm negat numerum ex parte essentiæ Divinæ non personarum. Nam in eodem loco paulò post dicitur: in relatione personarum numerus cernitur.

Ad 2. pr. ℟. ex S. Th. 1. p. q. 30. a. 1. ad 4. numerum adhuc dupliciter sumi: sc: pro numero numerante, qui est in intellectu. v. g. duo, tria &c. & pro numero numerato, qui est in rebus numeratis: qui licèt in creatis includat compositionem, secus in personis Divinis quæ ita dicunt oppositionem, ut nullam dicant unitatem. Cum una persona ex sua illimitatione non sit per modum determinabilis, altera per modum determinantis, quæ unitas necessaria ad hanc compositionem, ut docetur in Logica.

Quando autem dicitur numerum ternarium personarum majorem esse numero binario referendum est ad numerum numerantem. Et sic non ponitur majoritas in personis secundùm se, sed in forma extrinseca in intellectu existente.

Diffi-

Difficultas Secunda.

V. Sicut concedimus in Deo tres personas, ita concedendæ tres res, tres unitates, tria entia, tres quidditates, veritates, bonitates, tria aliquid & individua?

DIco 1. Concedendæ in Deo tres res. Quia nomen rei significat aliquid positivum & ab intellectu nostro independens. Hoc autem multiplicatur: cùm conveniat personis.

Nec ex hoc sequitur compositio in Deo, tam per se, quàm per aggregationem. Non per se: nam ad hanc requiritur distinctorum unio, sive per informationem, sive per terminationem in eodem supposito. Non per aggregationem: Nam ad hanc requiritur plurium actu perfectorum, in eadem natura non convenientium, inter se aliqua unio.

Dico 2. Concedendæ in Deo tres unitates, Quia communiter conceditur numerus transcendentalis. Hic autem dicit plures unitates.

Dico 3. Non sunt concedenda in Deo tria entia substantivè. Ita S. Th. in 1. d. 25. q. 1. a. 4. *Nomen entis sumitur ab esse rei. Et ideo cùm unum & idem sit esse trium personarum; si ens sumatur substantivè, non potest pluraliter prædicari de tribus personis: quia forma à qua imponitur sc: esse, non multiplicatur in eis. Si autem sumatur participialiter & adiectivè sic pluraliter prædicari potest. Quia hujusmodi recipiunt numerum à suppositis & non à forma significata.* Hæc authoritas facilè reduci potest ad formam. Adverte. Dum Doctor Sanctus, dicit ens multiplicari participialiter, non sumit ens participialiter ab actu existendi, sed ut dicit rem existentem & propterea addit ly *adjectivè.*

 Dico 4.

Dico 4. Licèt ens sumatur nominaliter, si tamen sumatur ab essentia ut principio existentiæ, non multiplicatur in Deo substantivè sed adjectivè. Ens verò communissimè sumptum prout distinguitur à nihilo, multiplicatur in Deo, etiam substantivè. Idem dic de entitate, quod de ente substantivè dictum. Conclusio est satis manifesta. Cujus tamen prima pars ex præcedenti patet.

Dico 5. Absolutè & sine addito loquendo non sunt concedendo in Deo trés quidditates. Nam quidditas Divina sic sumpta, sumitur pro Deitate, quæ non multiplicatur. Accipiendo tamen quidditatem latè pro omni prædicato rei constitutivo sic possunt concedi in Deo plures quidditates: cùm quælibet relatio habeat suum constitutivum.

Dico 6. Non sunt concedenda plura vera in Deo substantivè. Id est, plures veritates. Ita S. Th. in 1. d. 19. q. 1. a. 3. ad 1. Pr. Quæ conveniunt personis Divinis ratione essentiæ non multiplicantur. Veritas autem convenit personis Diuinis ratione essentiæ. Veritas enim consistit in ente ut intelligibili. Intelligibilitas autem convenit personis ratione essentiæ. Eò quod in Divinis sola essentia habeat rationem objecti motivi respectu sui, attributorum & relationum, ut alibi docent Thomistæ. Ex quo patet veritatem non fundari superquacunque realitate intra Deum.

Dices Hæc veritas, Deus generat, est distincta ab ista, Spiritus S. à Patre & Filio procedit. R. esse distinctas materialiter non formaliter. Quia in intelligibilitate conveniunt.

Dico 7. Non sunt concedenda in Deo plura bona substantivè sed adjectivè: hoc est: plures habentes eandem bonitatem. Patet ex dictis ubi ostensum est, relationem secundùm *Ad* non dicere perfectionem propriam.

Dico 8. Non sunt concedenda in Deo tria aliquid. Pr.

Aliquid

Aliquid idem est ac aliud quid, ut ait S. Th. de Veritate: a. 1. In Deo autem non est aliud & aliud substantivè; quia hæc important differentiam essentialem. Est tamen alius & alius: cùm hæc tantùm importent distinctionem suppositorum. Cùm hoc tamen stat, si *aliquid* sumatur prout præcisè dicit realitatem & opponitur nihilo, potest pluraliter poni in Divinis, cum addito limitante, v. g. tria aliquid relativa.

Dico 9. In rigore loquendo non sunt concedenda in Deo tria individua licèt concedantur tres personæ. Pr. Sicut nomen speciei magis principaliter significat naturam sub modo abstractionis, ita individuum significat naturam sub modo determinationis & incommunicabilitatis ad differentiam suppositi vel personæ, quæ magis principaliter & in recto significat modum determinationis & incommunicabilitatis, naturam verò in obliquo. Ergo patet in Divinis non multiplicari individuum in rigore loquendo, etsi multiplicetur persona. Quia non multiplicatur natura, quæ in individuo principaliùs importatur.

Difficultas Tertia.

V. Ratio personæ sit communis univocè respectu trium personarum Divinarum?

R. Quòd non. Quia à personis Divinis nequit perfectè præscindi ratio communis. Perfecta enim præcisio, hoc est, quando unum non includit actu, licèt implicitè, aliud, repugnat Divinæ simplicitati. Daretur enim in Deo compositio rationis tanta quanta est ex genere & differentia, quam negat D. Th. 1. p. q. 3. a. 5.

Adverte. Ratio personæ non est analoga respectu trium personarum, analogiâ attributionis: eò quòd ratio personæ, sit intrinsecè in qualibet personarum Divinarum;

ſed eſt analoga analogiâ proportionalitatis, qualiter ens eſt analogum reſpectu individuorum ejusdem ſpeciei.

Arg: 1. S. Th. in 1. d. 25. q. 1. a. 3. impugnat dicentes perſonam in Divinis dici analogicè analogiâ proportionalitatis, & poſtea aſſerit, quòd ſit communis ſicut ratio animalis eſt communis homini & aſino.

℞. S. Thomas non impugnat eos Authores in hoc, quòd dicant rationem perſonæ in Deo eſſe analogam, ſed quòd dicant eſſe tantùm intentionem rationis. Et concludit, quòd ratio analoga ſit ratio rei, ſicut ratio animalis ad hominem & aſinum. Et ſic comparat D. Thomas rationem perſonæ Divinæ cum ratione animalis in hoc quòd utraque ſit ratio rei, non autem quòd utraque ſit univoca.

Arg: 2. Ratio communis æqualiter conveniens inferioribus & ſine ulla dependentia unius ab alio eſt univoca. Ratio autem perſonæ in Deo ſic ſe habet.

℞. Non eſt de ratione analogorum ut ſic, dici per dependentiam unius ab alio: hoc enim ſolùm exigunt analoga attributionis. Cùm ens de Petro & Paulo dicatur analogicè, ſine dependentia tamen unius ab alio. Sufficit ergo ad analogiam, rationem communem non præſcindere perfectè à ratione particulari.

℞. 2. Licèt ratio perſonæ Divinæ æqualiter conveniat omnibus perſonis Divinis ſecundùm id quod dicit explicitè, non tamen ſecundùm id quod dicit implicitè. Cùm implicitè, actualiter tamen, includat diſtinctas rationes perſonarum, ob imperfectam præciſionem.

DISTIN-

DISTINCTIO QVINTA.

De cognitione Perſonarum Divinarum.

Difficultas Prima.

V. Superſanctiſſima Trinitas poſſit naturaliter cognoſci?

DIco quòd non. Quia ſuperſanctiſſima Trinitas nequit cognoſci niſi cognoſcantur proceſſiones Divinæ: hæ autem non poſſunt naturaliter cognoſci, ut docet S. Ambroſ L. 1. de fide, c. 5. *Impoſſibile eſt ſcire generationis ſecretum, mens deficit, vox ſilet.* Idem de proceſſione Spiritûs S. dicendum.

Pr. ex S. Th. Intellectus creatus non poteſt cognoſcere Deum ut Trinum ratione naturali à priori. Cùm Deus nullam ſui habeat cauſam. Nec in ſe ipſo immediatè: ſic enim tantùm videtur à Beatis. Nec à poſteriori, hoc eſt, per effectus. Cùm inquantùm Trinus, non operetur ad extra. Non enim operatur ad extra ratione oppoſitionis relativæ, ſed ratione omnipotentiæ. Ergo nullo modo &c.

Arguitur 1. Multi gentiles non admittentes Sacram Scripturam cognoverunt hoc myſterium. Nam refertur illud Trimegiſtri. *Prima mens Pater, genuit Filium, Pater & Filius produxerunt Spiritum S.*

℟. Aliquos Philoſophos gentiles perveniſſe ad notitiam ſuperſanctiſſimi hujus myſterij, vel ex oraculis Sybillarum, quæ divinitûs prophetârunt, vel ex Hebræorum magiſterio & ſacrarum Scripturarum lectione, vel etiam ex dæmonum revelatione, ſeu oraculis gentilium, quale fuit in templo Serapidis.

Principio Deus eſt. Tum ſermo. At Spiritus iſtis
Additur. Hæc tria ſunt coæva, & tendentia in unum.

Arg: 2. Naturali lumine conſtat duplex proceſſio. Ex eo, quòd omne intelligens, & omne amans, quòd intelligat & amet, producat aliquid intra ſe. Ergo eodem lumine conſtabit Superſanctiſſima Trinitas.

℞. N. ant. quoad utramque partem. Illa enim univerſalis, non eſt certa & evidens, ſi ſub illa comprehendatur Deus, propter infinitam diſtantiam inter Deum & creaturas. Nec obſtat præfatas actiones perfectioribus creaturis competere, & ſic poſſe transferri ad Deum. Quia mereri perfectioribus competit creaturis, nec tamen transfertur ad Deum.

Urgebis. Naturali lumine conſtat Deum non eſſe ſterilem. Ergo naturali lumine conſtat aut una aut duplex proceſſio. ℞. N. ant Non enim eſt evidens, ſterilitatem ſeu carentiam fœcunditatis ad intra, hoc eſt, producendi ſibi ſimile in natura, dicere imperfectionem, ut patet in Angelis,

Arguitur 3. In omni creatura intellectuali, etiam ſecundùm eſſe naturæ conſiderata, reperitur imago Superſanctiſſimæ Trinitatis. Sed naturaliter cognoſcitur creatura intellectualis. Ergo & imago Superſanctiſſimæ Trinitatis. Ergo & Superſanctiſſima Trinitas.

℞. Diſtinguo Min. Cognoſcitur creatura intellectualis ſub conceptu explicito imaginis Superſanctiſſimæ Trinitatis, N. Min. ſub alio conceptu. C. Min. Idem ad 1. conſequens. Quare ut cognoſcatur imago Superſanctiſſimæ Trinitatis, ſub hoc formali conceptu, præcognoſcendum eſt ipſum exemplar. Vt patet in exemplo de imagine v. g. Papæ.

Accedit. Hæc imago Superſanctiſſimæ Trinitatis non eſt perfecta. Nam licèt in homine ſint tres potentiæ (memoria, intellectus, voluntas) ſicut in Deo tres perſonæ. illæ tamen nec ſunt per ſe ſubſiſtentes, nec identificatur unitertio (ſc: animæ rationali) ſuppoſitâ earum reali diſtinctione inter ſe.

Arg: 4.

Arg: 4. Hæretici assentiuntur huic Supersanctissimo mysterio, non fide infusâ: quia hâc carent. Ergo ratione naturali. Ergo &c. ℟. N. utramque conseq. Assentiuntur enim fide quâdam historicâ fundata super authoritate Catholici Authoris.

Ex his patet. Ex infinitate bonitatis Divinæ, solùm naturaliter potest cognosci productio creaturarum syncathegorematicè infinita, non autem productio personæ æqualis & in eadem realiter natura.

QVÆSITVM I.

V. Hoc Supersanctissimum mysterium aliquibus similitudinibus possit explicari?

℟. quòd sic. S. Dionysius L. de Divinis Nominibus c. 5. comparat tribus luminosis unitis habentibus idem lumen. S. Athanasius comparat arbori. Ita ut Pater sit radix. Filius sit arboris truncus. Spiritus S. sit ramus. Unde sicut hæc tria sunt una arbor, sic tres personæ Divinæ, unus Deus. Et sic ut radix producit truncum, radix & truncus ramum, sic Pater Filium, uterque Spiritum S. Alij comparant tribus plicis ejusdem vestis. &c. Hæ tamen similitudines non adæquant: aliàs Supersanctissimum mysterium, non esset ineffabile.

QVÆSITVM II.

V. In via possit dari de Supersanctissima Trinitate evidens notitia quoad an est?

℟Det P. M. Herrera quòd sic. Probat. Christus D. habuit evidentem cognitionem de visione beata & actu fidei quo cognoscitur Supersanctissima Trinitas. Ergo & habuit evidentem notitiam quòd sit. Ant. supponitur ex 3. p. q. 11. a. 1. Consequentia patet. Quia implicat vire aliquem actum, & nescire objectum.

QVÆSITVM III.

V. Intellectus Angelicus valeat ſuâ virtute naturali ſuſpicari de exiſtentia Superſanctiſſimæ Trinitatis?

℟. Quòd non. Pr. Quod eſt ſupra omnem ordinem naturæ nullo modo poteſt virtute naturali attingi. Hoc autem Superſanctiſſimum myſterium eſt tale. Et ſic Angelus ſuæ naturæ relictus nec ſuſpicari poteſt de hoc Superſanctiſſimo myſterio.

Difficultas Secunda.

De Divinis Notionibus.

NOtio eſt ratio, quâ una perſona cognoſcitur diſtincta ab alia. Quinque ſunt in Deo notiones. Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio paſſiva, ſeu Proceſſio. Ex quibus quatuor ſunt relationes. Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Proceſſio. Quatuor etiam proprietates. Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Proceſſio.

Notiones ergo pertinent ad Perſonas cùm notificent perſonas. De his perſonæ identicè prædicantur. Dicitur enim Paternitas eſt Pater. Non tamen actus perſonales (v. g. Paternitas generat,) de notionibus prædicantur. Quia notiones non ſignificantur ut ſubſiſtentes. Actiones autem ſunt ſubſiſtentium.

Scias ergo. In aliquibus prædicationibus ſolùm attenditur identitas prædicati cum ſubjecto, ut in hac: Paternitas eſt Pater. In aliquibus etiam modus ſignificandi: ut in hac: Paternitas generat. Et quia Pater & Paternitas ſunt idem, ideo prima propoſitio eſt vera. Et quia Paternitas non eſt principium operandi, ideo ſecunda propoſitio eſt falſa.

Licèt autem ſint quinque notiones, non tamen Deus

dicitur quinus: quia non ſignificantur ut res, ſed ut rationes tantùm notificantes perſonas.

Negatio generandi in Filio: negatio ſpirandi in Spiritu S. negatio Spirationis paſſivæ in Patre & Filio non ſunt notiones. Quia quælibet earum poteſt convenire rei non ſubſiſtenti in natura intellectuali. Notio autem, utpote notificans perſonam Divinam, cùm pertineat ad dignitatem, debet convenire rei in natura intellectuali ſubſiſtenti.

Non ſolùm prædicta excluduntur à ratione notionis, ſed & potentia generativa & ſpirativa ſecundùm id quod dicunt in recto. Sic enim ſunt communia, utpote intellectus & voluntas. Secus: ſi conſiderentur in obliquo. Sic enim ſunt relationes.

Difficultas etiam eſſe poſſet de principio fontali Deitatis, quod Patri competit. Item de ratione verbi & imaginis reſpectu Filij. Tandem de ratione Doni & Amoris reſpectu Spiritûs S. ℟. tamen principium fontale Deitatis, dicit Paternitatem. Ratio etiam verbi & Amoris non differunt à Filiatione & Spiratione paſſiva.

Dicitur autem Pater principium fontale Deitatis: quia primus Deitatem alijs communicat. Dicitur etiam principium totius Trinitatis: quia omnes perſonas procedentes producit.

DISTINCTIO SEXTA.

De Perſonis Divinis in particulari.

Difficultas Prima.

V. Innaſcibilitas in Patre ſit quid poſitivum?

℟ quòd non. Sed eſt negatio eſſendi ab alio, tam per productionem, quàm per communicationem. Et ſic innaſcibilitas eſt improducibilitas & incommunicabi-

litas fundata in positivo. Pr. Illud positivum quo constitueretur innascibilitas, vel esset relatio vel aliquid absolutum. Non absolutum: quia sic esset commune omnibus personis. Non etiam relatio: quia sic darentur plures relationes in Patre, præter Paternitatem & Spirationem activam. Ergo patet innascibilitatem non constitui positivo. Et sic ratio ingeniti non est formaliter ipsamet ratio primæ personæ, sed consequitur ad rationem primæ personæ & in ea fundatur.

Arg 3. Esse per se dicit quid positivum. Ergo & esse à se, Innascibile autem dicit esse à se. ℞. N. Conseq. & paritatem. Quia esse per se dicit existentiam vel subsistentiam, quæ sunt positiva. Hæc autem vel similis ratio non militat pro esse à se notiali.

Urgebis. Esse à se essentiale dicit aliquid positivum. Ergo idem de esse à se notionali. Ergo pro esse à se notionali, ut positivo, militat aliqua ratio. ℞. N. Conseq: Nam esse à se essentiale, hoc est, esse increatum est perfectio quâ Deus distinguitur à creaturis, & sic debet esse aliquid positivum. Innascibile verò seu esse à se notionale, non est quo distinguitur Pater, sed notificatur iam distinctus. Paternitate enim Pater, & non alio distinguitur.

Difficultas Secunda.

V. Ratio verbi soli Filio Dei conveniat?

R. quòd sic. Et sic Verbum in Divinis propriè loquendo solùm accipitur personaliter & non essentialiter. Ita S. Th. 1. p. q. 34. a. 1. Traditur etiam à S. P. Aug: L. 7. de Trin. c. 15. Sicut relativè dicitur Filius, ita Verbum cujus est Verbum. Pr. Imago soli Filio in Divinis competit, ut patebit in sequentibus. Ergo idem de Verbo. Cùm Verbum sit imago rei intellectæ.

Arg: 1.

Arg: 1. S. Th. in 1. d. 27. q. 2. a. 2. dicit. Et sic cùm ipsa Essentia per se intelligatur & manifestetur, ipsa Essentia erit Verbum. Ergo ratio Verbi non soli Filio convenit. ℞. S. Thomas docet rationem Verbi Essentiæ competere sed minùs propriè. Subdit enim, Sed tamen in usu Sanctorum & communiter loquentium est, quòd hoc nomen Verbum relationem realiter distinguentem importet.

Arg: 2. Essentia Divina in intellectu Beatorum gerit vicem Verbi. Ergo ei competit ratio Verbi. Ergo non soli Filio. ℞. gerere vices Verbi non est habere rationem Verbi: sicut gerere vices Regis non est esse Regem. Sed quicquid sic de hoc: distinguo. Ant. Gerit vices verbi quoad aliquod munus, quod est repræsentare objectum. C. ant. Quoad rationem specificam verbi, quæ est esse quendam conceptum realiter emanantem à dicente N. ant. & conseq.

Arg: 3. Si Verbum in Deo acciperetur personaliter Pater intelligeret Filio. Quia intelligit verbo. Omne enim intelligens intelligit verbo. ℞. N. sequelam. Ad pr. dico. Omne intelligens intelligit verbo, similitudinariè, hoc est, pro intellectione, accepto, non autem propriè sumpto. Verbum enim propriè acceptum non est intellectio sed terminus intellectionis, & imago expressa objecti, quâ objectum intelligenti manifestatur.

Difficultas Tertia.

V. Verbum Divinum procedat ex cognitione omnium quæ sunt formaliter in Deo?

EA dicuntur esse formaliter in Deo, quæ sunt in Deo secundùm suam rationem formalem, seu quæ prædicantur de Deo. v. g. Attributa, personæ Divinæ earumque proprietates.

Dico ergo affirmativè. Ita S. Th. 1. p. q. 34. a. 1. ad 3. Pr. Cognitio comprehensiva Essentiæ Divinæ attingit omnia quæ sunt formaliter in Deo. Sed Verbum Divinum per se procedit ex cognitione comprehensiva Essentiæ Divinæ. Ergo per se procedit ex cognitione omnium quæ sunt formaliter in Deo.

Et sic intellectus Divinus fœcundatur ad producendum Verbum Divinum cognitione comprehensivâ quâ remota non est fœcundus.

Quæ cognitio debet esse comprehensiva etiam extensivè: sicut Verbum Divinum est infinitum non solùm intensivè sed extensivè.

Arg: 1. Si Verbum Divinum procederet ex cognitione Spiritûs S. esset imago Spiritûs S. (verbum enim est imago objecti ex cujus cognitione procedit) sed hoc est falsum. Ergo Verbum Divinum non procedit ex cognitione Spiritûs S. Et sic non omnium quæ sunt in Deo.

℟. N. sequelam. Nam imago perfecta, ut est verbum Divinum, activè producitur ab eo cujus est imago. Dixi: *imago perfecta.* Nam imago imperfecta, ut est pictura, dicitur imago illius ad cujus similitudinem depingitur & non à quo activè producitur.

Arg: 2. Dato quòd Verbum Divinum procederet ex cognitione sui & Spiritûs S. sequeretur produci à se & Spiritu S. Sequela. Nam objectum activè concurrit ad productionem verbi: secundùm illud; ex objecto & potentia oritur notitia. ℟. N. sequelam. Ad pr. dico. Objectum motivum effectivè concurrere ad productionem verbi, non autem tantùm terminativum. Personæ autem Divinæ, ut aliunde suppono, tantùm sunt objectum terminativum. Et sic Verbum Divinum non dicitur Pater secundùm esse intelligibile. Quia Verbum solùm est suum objectum motivum. Dicitur tamen verbum Patris, inquantùm procedit à Patre & repræsentat Patrem ex vi suæ processionis. Arg: 3.

Arg: 3. Pater in illo priori quo producit Verbum non est Spirator sed Pater. Ergo licèt tunc se cognoscat ut Patrem, & consequenter & Filium, non tamen se cognoscit ut Spiratorem, consequenter nec Spiritum S. Et sic cognitio Spiritûs S. ad productionem verbi non ingreditur.

℞. N. A. Licèt secundùm nostrum modum concipiendi imperfectum, pro illo priori Pater non intelligatur ut Spirator in actu secundo, est tamen Spirator in actu primo. Quia in illo priori habet virtutem spirativam, quod sufficit ad cognoscendum pro illo priori Spiritum S.

Cæterum negando in Deo actum primum, neganda sunt talia signa ex parte rei conceptæ. Et sic in illo signo in quo Pater producit Verbum, est etiam Spirator in actu secundo.

QVÆSITVM.

V. Cognitio per quam procedit Verbum sit intuitiva?

℞. quòd sic. Nam hæc cognitio terminatur ad verbum Divinum, non ut futurum, sed ut cöexistens. Licèt enim cognitio comprehensiva Personarum præcedat prioritate originis & à quo Verbum procedens, non tamen præcedit prioritate in quo seu existentiæ. Ad cognitionem autem intuitivam solùm requiritur ut terminetur ad objectum actu existens in eadem indivisibili duratione.

Difficultas Quarta.

V. Verbum Divinum procedat per se ex cognitione creaturarum possibilium.

℞. quòd sic. Nam procedit ex cognitione comprehensiva Essentiæ & Omnipotentiæ Dei, quibus compre-

 hensis

hensis necesse est videre creaturas possibiles. Comprehensis enim causis necessarium est videre effectus.

Dices. Sicut ad hoc ut potentia visiva comprehendatur v. g. ab Angelo, non est necessarium cognoscere in particulari omnia visibilia, sed sufficit cognoscere visibile ut sic: Ita Deus comprehendit omnipotentiam quamvis in illa non cognoscat pro aliquo signo omnes creaturas in particulari, per hoc solùm quòd cognoscat creabile ut sic.

Contra. Nam potentia visiva non respicit ex se omnia visibilia in particulari; sed hoc ei convenit per species impressas, quibus ad visibilia in particulari determinatur. Omnipotentia autem Divina ex se respicit & completè continet omnia creabilia in particulari, hinc comprehensâ illâ, & hæc necessariò cognosci debent. Et quidem in eodem signo rationis, non obstante differentiâ penes objectum primarium & secundarium. Cùm objectum secundarium requiratur ad comprehensionem primarij.

Pro solutione aliorum.

Scias 1. Dum S. Thomas q. 4. de Veritate a. 5. dicit: Verbum referri ex consequenti & quasi per accidens ad creaturas, loquitur de creaturis existentibus & futuris, ex quarum cognitione Verbum Divinum non procedit per se.

Scias 2. Nullum est inconveniens ex cognitione minùs necessarij procedere magis necessarium, si cum hoc, illud necessariò connectatur.

Scias 3. Ex nostra sententia non sequitur dependentia Verbi Divini à creaturis possibilibus, sed connexio necessaria.

Ex his sequitur. Si creaturæ non essent possibiles: Verbum Divinum non procederet. Et sic non esset: quia omnipotentia Dei non esset. Nec tamen creaturæ possibiles sunt causa omnipotentiæ Dei. Et sic hæc: ideo Deus est omnipotens, quia creaturæ sunt possibiles: est falsa nisi sit à posteriori.

Diffi-

Difficultas Quinta.

V. Verbum Divinum per se procedat ex cognitione futurorum?

DIco quòd non. Ita S. Anselmus in Monologio cap. 30. ibi. *Sive igitur Deus cogitetur, nullâ aliâ existenti essentia, sive alijs existentibus, necesse est, verbum illius coëternum illi esse cum ipso.* Pr. Cùm processio Verbi Divini sit simpliciter necessaria, ut aliquod objectum per se ad illam concurrat, requiritur ut sit simpliciter necessarium, & habeat necessariam connexionem cum Essentia Divina. Futura autem non sunt taliter necessaria, sed ex suppositione decreti, nec habent necessariam connexionem cum Essentia Divina, nisi etiam ex suppositione decreti. Et sic non procedit per se ex cognitione futurorum. Et sic tantùm per se procedit ex cognitione comprehensiva necessariò cum omnipotentia connexorum, non verò ex suppositione, ut connectuntur libera.

Scias conclusionem & probationem procedere de futuris determinatè sumptis. Nam Verbum Divinum procedit ex cognitione futurorum indeterminatè sumptorum. Sic enim sunt possibilia apta futurizari. Et hoc sufficit, ut procedat ex cognitione comprehensiva libertatis Dei.

Nec contradicimus S. P. Aug. qui L. 15. de Trin. c. 13. & 14. dicit: Verbum Divinum esse de omnibus quæ sunt in scientia Dei. Nam mens S. P. non est quasi omnia quæ sunt in scientia Dei requirantur æqualiter ad processionem Verbi, sed vel per se vel concomitanter ac veluti accidentaliter. Hoc modo se habent futura.

Nec contradicimus S. Th. 1. p. q. 34. a. 1. ad 3. dum dicit: Pater intelligendo se & Filium, & Spiritum S. & omnia quæ in eius scientia continentur, concipit verbum. Loquitur enim de scientia necessaria quæ est possibilium.

unum. His explicationibus aliæ authoritates solvantur.

Arg: primò. Verbum Divinum dicit respectum ad futura: cùm sit factivum & expressivum futurorum. Ergo procedit ex cognitione futurorum. ℟. Dicit: sed ex suppositione decreti, & non ex vi processionis. Dicit tamen respectum ad futura per processionem: cùm hæc comitentur realiter processionem. Nec hæc coincidunt, ut dictum est agendo, an spiratio sit generatio.

Arg: 2. Futura sunt necessariò connexa cum libertate Dei: & sic cum cognitione comprehensiva libertatis Dei. Verbum autem Divinum per se procedit ex cognitione comprehensiva libertatis Dei: & sic ex cognitione futurorum. ℟. N. Ma. Libertas enim Dei exerceri valet sine futuritione creaturarum, decernendo nihil ad extra producere.

Concedendum tamen Verbum Divinum per se procedere ex cognitione decretorum ut dicunt entitatem increatam, non autem liberam terminationem seu connotationem.

Hæc applica processioni Spiritûs S. Et sic ex quorum cognitione procedit Verbum, ex eorum amore spiratur Spiritus S. demptis possibilibus quæ non amantur à Deo ut dixi in 1. sent. Thomisticarum de voluntate Dei.

Difficultas Sexta.

V. *Soli Filio ratio imaginis conveniat in Divinis?*

DIco 1. Filio in Divinis competit ratio imaginis. Patet ex illo ad Coloss: 1. *Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ.* Pr. Filius ex vi processionis est vera naturalis similitudo Patris, & ab ipso procedens. Ergo verè competit ei ratio imaginis. Nec plùs ad imaginem requiritur.

Dico 2.

Dico 2. Ratio imaginis soli Filio convenit. Pr. ex S. Th. 1. p. q. 53. a. 2. Solus Filius procedit ex vi processionis similis in natura. Ergo solus est imago. Conseq. patet. Nam ad perfectam imaginem qualis est in Divinis, non sufficit qualiscunque similitudo, sed ex vi processionis: defectu cuius Eva non est propriè imago Adæ.

Dico 3. Filius in Divinis est imago solius Patris. Ita S. P. Aug. L. 7. de Trin: c. 2. Pr. Filius non est imago Deitatis, nec sui à quibus non distinguitur. Nec Spiritûs S. aut creaturarum, à quibus non procedit. Ergo est imago solius Patris. Dicitur autem Filius imago solius Patris: quia repræsentat ipsum Patrem, sive Deitatem ut est in Patre. V. Philippum à Ss. Trin: in præsenti.

Arg: contra 1. In creatis imago importat absolutum, nempe qualitatem, Ergo & in Deo. Ergo non competit Filio Dei. ℞. N. Conseq: Quia in creatis potest esse distinctio secundùm absoluta, secus in Diuinis. Et sic imago in Divinis est de relativis.

Arg: contra 2. Ad Rom. 8. dicitur. Quos prædestinavit conformes fieri imagini Filij sui. Ubi per imaginem Filij Dei Sancti Patres Græci, Basilius, Athanasius & Cyrillus intelligunt Spiritum S. Ergo ratio imaginis non soli Filio convenit. ℞. Licèt PP. Græci huius opinionis esse censeantur, salvari tamen possunt ob reverentiam. Et sic dicendum cum S. Thoma opusc. 1. c. 10. Quando Spiritus S. dicitur imago Dei, lato modo sumitur imago sc: pro eo quod est alteri simile, quamvis non habeat ab illo, ex vi suæ processionis, talem similitudinem. Alij tamen Ss. PP. testimonium dictum, & aliud 1. ad Cor. 15. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis* intelligunt per constructionem intransitivam, id est, non de imagine, quæ sit alia à verbo, sed de imagine, quæ sit ipsum verbum. Ita S. Ambr. S. Hieronymus, S. Chrysostomus, S. P. Aug: & S. Cyrillus.

Arg: contra 3. Ad imaginem sufficit quòd sit alicui similis in specie, & quòd procedat ex cognitione illius. Filius autem hæc habet respectu Spiritus S. Et sic est imago Spiritûs S.

Dices. Præter hæc requiritur processio ab eo cuius est imago, Contra. Verbum quod format Angelus de objecto sensibili, non procedit ab objecto, etiam tantùm mediatè: cùm Angelus non habeat species ab objecto: & tamen est imago talis objecti. Item imago Imperatoris non procedit ab Imperatore.

℞. ad impugnationem: ad imagines imperfectas, quale est hoc verbum Angeli, & pictura Imperatoris, non est necessarium procedere ab eo cujus est imago, sed ab eo vices gerente. Qualiter verbum Angeli procedit à specie impressa, quæ gerit vices objecti. Et pictura Imperatoris procedit ab idæa artificis, quàm habet de imperatore. Potest definiri imago perfecta: est similitudo ejus à quo procedit. Intellige: ex vi processionis.

℞. 2. Verbum Angeli procedit ab objecto secundùm esse intentionale: cùm procedat à specie, quæ est ipsum objectum secundùm esse intentionale. Et imago Imperatoris procedit ab Imperatore secundùm imaginabile & intentionale. quia procedit ab Idæa quæ est ipsemet Imperator secundùm esse intentionale & diminutum. Hoc autem licèt non sufficiat ad imaginem perfectam naturalem, secus ad imaginem quæ est talis secundùm esse intentionale. vide dicta dist. 6. diff. 3. ad 1.

Difficultas Septima.

V. Spiritus S. procedat à Filio?

R. Esse de fide. Colligitur ex S. Scriptura, ubi Spiritus S. dicitur Spiritus Filii. Ad Galatas enim 4. habetur. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra.* Pr. Pa-

ter communicat omnia Filio exceptâ Paternitate, ut patet ex illo Joan. 10. *Omnia quæ habet Pater mea sunt.* Ergo communicat Filio virtutem ſpirandi. Ergo Spiritus S. à Filio procedit.

Arg: S. Cyrillus Alexandrinus in Concilio Epheſino reſtitit Theodoreto aſſerenti Spiritum S. non procedere à Filio: nec tamen in hoc, Concilium, Theodoretum reprobavit. Ergo ſaltem implicitè aſſertionem Theodoreti approbavit. ℟. N. Conſeq. quia hæc reprobatio erat extra cauſam de qua tunc agebatur. Agebatur enim tunc contra Neſtorium duas Perſonas in Chriſto D. ponentem. Nec eſt Concilij omnia determinare, niſi de quibus tunc agitur. Imò hæc veritas ex Concilijs habetur, & præ aliis patet ex Synodo ſeptima actione ſeptimâ, ubi habetur de Spiritu S. *qui à Patre Filioque procedit.* Non ſic autem addidit (Filioque) quaſi in alijs Concilijs non fuiſſet, ſed propter inſtantem neceſſitatem (quæ alia Concilia non urgebat) quod in ijsdem continebatur explicuit.

Hæc doctrina non contrariatur S. Gregorio Nazianzeno. Quòd enim S. Doctor aſſerat, Filium habere omnia quæ Pater exceptâ cauſalitate, id eſt, productione: per hoc non Spiritûs S. ſed alterius Filij productionem negat.

Dum verò S. Damaſcenus L. 1. de fide c. 11. dicit: (*Spiritum S. ex Patre dicimus, & Spiritum Patris nominamus: ex Filio autem Spiritum S. non dicimus, Spiritum verò Filij nominamus*) non negat Spiritum S. procedere à Filio. Hunc enim ſenſum faciunt dicta verba: Dicimus Spiritum eſſe Patris, & ideò eſſe à Patre. Cur negamus eſſe à Filio: cùm dicamus Spiritum Filij? Ita explicant aliqui.

Dum etiam S. Damaſcenus in oratione de Sabatho S. hæc dicit. *Spiritus S. Filij dicitur, quòd per ipſum manifeſtatur: rebusque conditis eſt impertitus: non autem ex ipſo habens ut ſubſiſtat.* Non negat Spiritum S. à Filio procedere, ſed

solùm negat procedere à Filio, ut authore. Solus enim Pater est author & fontale principium processionum. Hæc explicatio applicanda priori textui.

Immo S. Damascenus concedit Spiritum S. procedere à Filio: cùm lib. 1. c. 11. de fide Orthodoxa concedat procedere per Filium.

Cæterum conformando se menti S. Th. 1. p. q. 36. a. 2. ad 3. probabile est S. Damascenum fuisse secutum sententiam Theodorici Nestoriani (alij legunt: Theodoreti) nec tamen formaliter errâsse. Quia determinatio hujus non erat Græcis certò nota, ut refert Carth. in 1. d. 11. q. 1. §. Eodem modo respondet ibi. *Quia adhuc apud Græcos in dubium vertebatur.* Sunt enim aliquæ Ss. Patrum sententiæ, quas nullo modo sequi possumus: v. g. de rebaptizandis hæreticis. De corporeitate Angelorum &c. Sed placet adducere aliquod argumentum quod putant Græci fundari in doctrina S. Damasceni. Ergo

Arg: 2. ex S. Damasceno L. 1. de fide c. 10. ubi hæc habet. *Spiritus S. est omnia habens quæ habet Pater & Filius, exceptâ ingeniti & geniti proprietate.* Ex quo ita format argumentum Græci, primâ die colloquij Kioviensis. In esse ingeniti vel includitur spiratio, vel non. Si includitur: Ergo Filius ut non habet esse ingeniti, ita neque Spiratoris. Si non includitur. Ergo Spiritus S. habet esse Spiratoris, utpote habens omnia, quæ Pater exceptâ ingeniti proprietate.

℟. In esse ingeniti includitur spiratio activa. Nec sequitur quod infertur. Quia ingenitus opponitur relativè Filio, non autem Spirator.

Miror nobis objici authoritatem Michaëlis Syncelli Encomiasticæ S. Dionysij: qui hæc habet. *Rursus verò ut Spiritus S à solo Patre descenderit & per Filium processerit & hominibus se ostenderit, unius principatum edocens.* Miror inquam: cùm Syncellus non sit de numero Ss. Patrum. Quod autem.

tem à Corderio S. Dionysij operibus sit insertus, nihil probat: nam insertus est ut Encomiastes, non ut fidei Magister. Sive autem descensus à Patre sonet processionem ad intra, seu ad extra, hoc est, missionem, falsum est, à solo Patre esse.

Sicut autem authoritas Syncelli, non urget, ita nec glossa apposita in margine ad verba S. Maximi (interpretis S. Dionysij) qui hæc habet: *Spiritus S. qui à Patre procedit.* Glossa autem: *Inde patet S. Maximum fuisse in communi errore Græcorum.* Non inquam urget: quia incautè posita: cùm S. Pater non addat ly *solo*.

Arg: 3. S. Athanasius tomo 2. editionis Comelinianæ in quæstionibus Anonymis hæc habet. *Filius ex solo Patre causatus & genitus. Spiritus S. à solo Patre causatus & procedens, sed per Filium in mundum missus.* Ergo &c. Sed negatur hunc librum esse S. Athanasij. Quia Bibliothecarum Scrutatores, Possevinus, Bellarminus, & alij testantur, non solùm has sed etiam alias, in eo tomo contentas, non esse S. Athanasij. Deinde Græci, tum in Concilijs, tum aliàs, adducentes pro suo errore testimonia, hoc, quod esset inter illustriora, non adduxerunt. Tandem S. Athan. serm. 4. contra Arrianos hæc habet. *Non tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionistæ: cùm non tres soles ad comparationem adducamus, sed unicum solem, ejusdq; splendorem, & ex utroq; lucem procedentem.*

Nec citatus Author est contra nos. Nam q. 11. hæc habet. *Unicam in Deo causam dico, & hæc est Pater. Ipse enim Pater gignit Filium, & emittit Spiritum. Quare discer quòd Pater solus est ætios.* Ergo docet Spiritum S. procedere à solo Patre, tanquam ab eo, qui à se ipso omnia habet. Hoc enim indicat ly *ætios*. Et sic nihil contra nos. Eodem sensu S. P. Aug. L. 15. de Trin. c. 17. docet, Spiritum S. à Patre procedere principaliter. Quia hic a se, Filius à Patre, habet virtutem spirandi: ut ipse S. Pater se explicat.

Arg: 4. cum Gizel. Latini corruperunt Concilium Constantinopolitanum, 1. addendo particulam *Filioque*, ut testatur Leo III. reprehendens Gallos, qui id facere sunt ausi: cuius epistola Concilio Aquisgranensi est inserta. Præfatus ergo Pontifex contrarium sentit, & intentionem Concilij aperit.

℞. Latini dictum Concilium non corruperunt: quia Summus Pontifex, quod privatâ authoritate factum omisit. Non quasi Græcis faveret (cùm in eodem folio scribat: verissimè dici: Spiritum S. à Patre & Filio procedere) sed quia quod additum, addi non poterat inconsulto Summo Pontifice. Præsertim, quia tunc additionis præfatæ non erat tanta necessitas, ut nunc est. Aliàs verò ly *Filioque* subintelligebatur: cùm quicquid habet Pater, habeat Filius exceptâ Paternitate & innascibilitate.

Asserit etiam Arguens symbolum S. Athanasij quoad ly *& Filio* à Latinis esse corruptum: sed hoc non probavit. Ubi sciendum S. Athanasium Romæ habitantem non græcè sed latinè scripsisse symbolum, ut testatur Baronius. Sed quis scripsit seu potiùs transtulit in græcum, ubi non habetur, *& Filio?* ait Arguens. ℞. non constare. Probat tamen Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, quòd antiquior textus græcus id habeat. Quoad alios textus in græcum trânslatos, dicit. Ubi de Filij processione agitur, dicitur à Patre solo. Ubi de Spiritûs S. processione, ly solo non ponitur.

Arg: 5. Spiritus S. sufficienter procedit à Patre. Ergo superfluè procedit à Filio. ℞. N. Conseq. Quia Filius per eandem virtutem spirat. per quam Pater. Sicut quia creaturæ per eandem omnipotentiam producuntur à Patre, non sequitur superfluè produci ab alijs Personis.

Pro extensiori notitia.

Scias. Dato, verbum nostrum non influere activè in amorem, Verbum tamen Divinum activè influit propter specialem rationem, quæ mox tangetur. Diffi-

Difficultas Octava.

V. Si Spiritus S. non procederet à Filio, distingueretur realiter à Filio?

DAtâ hâc per impossibile hypothesi supponitur remanere Spiritus S. non tamen cum eodem modo essendi. Nam non esset amor mutuus, nec respiceret duas personas, à quibus procederet. Licèt autem in alia hypothesi non procederet à Patre, distingueretur à Patre; quia mediatè procederet à Patre, ob communicatam Filio virtutem spirativam. Nulla autem res identificatur suo principio, quamvis mediato.

Dico ergo negativè. Patet ex Conc. Flor. sess. 18. ibi. *Nulla alia ratio distinctionis aut discriminis est in Divinis, nisi per hoc, quòd persona aliqua est ab altera.* Idem habet S. Greg. Nyssenus l. 1. contra Eunomium. ibi. *Detractâ ratione principij, in nullo Sanctissima Trinitas dissidet à se ipsa.* Et in epistola ad Ablavium. *In hoc solo alterum ab altero (in Divinis) discerni censemus: quòd credamus alterum esse causam, alterum verò quòd ex causa.*

Aliud ergo est loqui de processione personarum, aliud de principio immediato distinctionis. Processionis multæ rationes assignari solent, distinctionis una, ut ostensum. Et sic ruit fundamentum P. Amandi Hermann, recentis Subtilis Doctoris discipuli.

Declaratur. Personæ enim Divinæ non distingvuntur relationibus disparatis. Sic Pater & Spirator non distingvuntur realiter. Quia relatio Paternitatis & spirationis activæ sunt disparatæ. In data autem hypothesi Filiatio & Spiratio passiva essent disparatæ. Cùm una non esset ab alia. Et sic non distinguerent Filium & Spiritum S. inter se.

Arg. 1.

Arg: 1. S. Anselmus in epistola de processione Spiritûs S. hæc habet. *Etsi per aliud non essent plures Filius & Spiritus S. per hoc solùm essent diversi.* (sc: ut in antecedentibus præmiserat) *quia alter nascendo alter procedendo habet esse.* ℞. ex S. Th. q. 10. de Potentia a. 5. ad 2. S. Anselmum non ex propria sententia locutum, sed disputativè suppositâ sententia Græcorum distinguentium Spiritum S. à Filio per hoc solùm quòd Filius sit nascendo, Spiritus S. procedendo. Aliàs esset sibi contrarius. Nam in L. de processione Spiritûs S. contra Græcos composito, c. 3. docet quòd *neque unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio.*

Arg: 2. Spiritus S. solùm opponitur relativè Spiratori non verò Filio ut Filio: cùm non procedat á Filio ut Filio sed ut Spiratore: & tamen distinguitur non solùm à Spiratore sed & à Filio. Ergo etiam in illo casu distingueretur à Filio, licèt ei non opponeretur relativè. ℞. Licèt solùm opponatur formaliter & sub reduplicatione Spiratori, Filio tamen identicè, quôd sufficit. ℞. tamen aliter. Licèt Spiritus S. opponatur Spiratori relativè immediatè, Filio non tamen ut tali mediatè, inquantùm Filiatio est radix spirationis activæ. Quæ oppositio sufficit ad distinctionem. In hypothesi autem quòd Spiritus S. non procederet à Filio nulla prorsus esset oppositio relativa & sic nec distinctio.

Dices. Etiam Essentia Divina est radix spirationis activæ, & tamen non distinguitur á Spiritu S. ℞det P. Gonet. Licèt Essentia Divina sit radix spirationis activæ, non tamen adæquatur cum spiratione activa: cùm sit radix aliorum. Filiatio autem ita est radix ut adæquetur; non enim plùs radicat. Et sic si spiratio activa distinguitur à Spiritu S. etiam Filiatio.

Arg: 3. Constitutivum est distinctivum. Sed in illa hypothesi remaneret Filij constitutivum sc: Filiatio. Ergo & distin-

& distinctivum, Ergo etsi Spiritus S. non procederet à Filio distingueretur à Filio. ℞. N. Min. Nam licèt remaneret Filiatio non tamen ut radix spirationis activæ, qualiter Filiatio constituit Filium & distinguit à Spiritu S. licèt sub solo conceptu Filiationis distinguat à Patre.

Dices. Prædicatum commune pluribus non distinguit. Esse autem radicem spirationis activæ, est commune Patri & Filio. Et sic non distinguit Filium à Spiritu S. ℞ Licèt esse radicem spirationis ut sic sit commune, esse tamen radicem talem est peculiare Filio.

Arg: 4. Dictio & spiratio in illa hypothesi essent duæ productiones totales. Ergo haberent duos terminos totales. Ergo totaliter distinctos. Ergo licèt Spiritus S. à Filio non procederet distingueretur. ℞. in tali hypothesi, essent duæ productiones totales totalitate principij, inquantùm totam virtutem in producendo explicarent. Non tamen essent totales totalitate termini. Hoc est, non totum quod est in termino producerent.

QVÆSITVM.

V. In data hypothesi Filius & Spiritus S. essent duæ personæ ratione distinctæ?

℞. quòd non, sed esset una, sicut esset una subsistentia relativa, licèt essent duæ relationes ratione cum fundamento in re distinctæ. Et sic non esset verum dicere, Filius tantùm est persona. Quia constitutivum talis personæ, non esset sola Filiatio sed & Spiratio passiva.

Difficultas Nona.

V. Ad productionem Spiritûs S. per se requiratur pluralitas personarum?

℞. quòd sic. Ita S. Th. 1. p. q. 36. a. 4. ad 1. Pr. Spiritus S: secundùm modum procedeudi sibi intrinsecum habet, quòd sit amor mutuus connectens duas personas se amantes. Ergo per se requirit pluralitatem personarum se producentium. Hoc enim sublato non esset amor mutuus, connectens duas personas se amantes. Ant: verò constat ex Conc: Tolet: XI. in confessione & Ss. PP. relatis à Phil. à S. Trin. disp. 8. de Ss. Trin: dub. 4. & 6. Sed clariùs constat ex præcedenti. Quia si non exigeret per se, etiam à Filio procedere, non exigeret distingui à Filio.

Licèt autem relationes, & ratio amoris mutui notionalis non addant ad amorem essentialē perfectionem entitativè: addunt tamen explicativè & arguitivè: quia si Deo non convenirent ex hoc argueretur aliquis perfectionis defectus. Unde cùm Spiritus S. petat procedere ex amore essentiali ut explicante omnem perfectionem, petit procedere ab illo ut terminato & modificato relationibus Paternitatis & Filiationis, & per consequens ex amore mutuo Patris & Filij. Sumitur ex Salmanticensibus.

Arg: Tota vis spirativa tam perfectè est in Patre & Filio seorsim, quàm in utroque simul. Ergo ad productionem Spiritûs S. per accidens se habet, quòd sit ab utroque. Et sic per accidens est quòd ab utroque procedat. ℞. N. conseq. Ad productionem enim Spiritûs S. non solùm requiritur principium *Quo* scilicet virtus spirativa, sed etiam principium *Quod*. Hoc autem ex parte suppositorum debet esse multiplex, ex conditione Spiritûs S. quòd sit amor mutuus. Nota pro extensiori notitia: creaturæ ex nulla conditione habent per se procedere seu produci à pluribus.

QVÆSITVM.

Si per impossibile Pater esset sine Filio, utrùm spiraret Spiritum S.?

R. quòd non. Quia S. Th. 1. p. quæst: 36. in corpore articuli dicit: necesse est quòd amor à verbo procedat. Nec hoc supra verè supposuimus, sed supposito hoc, quæsivimus, quid tunc esset.

Difficultas Decima.

V. Pater & Filius sint unum principium Spiritûs S.?

R. Quòd sic. Oppositum censetur temerarium propter Concilium Lugdunense relatum in C. Fideli de Summa Trin: & Fide Catholica in sexto: ubi damnantur illi, qui temerario ausu asserere præsumpserint, quòd Spiritus S. à Patre & Filio tanquam à duobus principijs & non tanquam ex uno procedat. Sed refert Durandus in 1. d. 11. q. 3. n. 7. Oppositum sentientes solùm attendunt supposita: & sic in re Concilio non contradicunt. Ipse etiam Durandus nequit citari in oppositum: nam loco cit: n. 10. hæc habet. *Nullo modo est dicendum, quòd Pater & Filius spirent inquantùm sunt plures.* Numero tamen quarto dicit, hanc quæstionem potiùs esse de modo loquendi quàm de re.

Pr. conclusio. Pater & Filius in producendo Spiritum S. non opponuntur. Ergo non sunt duo principia sed unum. Pr. 2 Principium non potest dici pluraliter nisi multiplicatâ formâ. Cùm nomen substantivum concretum ad multiplicationem solius subjecti non multiplicetur, sed conrequirat formam. Sicut ly Deus non multiplicatur, quia non multiplicatur forma sc: Deitas. Sed forma sc: spiratio activa non multiplicatur. Ergo hoc

nomen principium non dicitur pluraliter, & sic non duo sed unum principium.

Arg: 1. Pater & Filius producunt Spiritum S. ut sunt plures. Cùm eorum pluralitas sit per se requisita ad productionem Spiritûs S. utpote qui est nexus Patris & Filij. Ergo sunt plura principia. ℞. N. A. Pluralitas enim per se (in nostro casu) requisita non inducit pluralitatem principiorum sed suppositorum, quæ non plurificant principia nisi etiam formæ vel quasi formæ plurificentur, ut dictum est.

Et sic non sunt concedendi duo Spiratores, duo authores, benè tamen duo spirantes.

Quòd si D. Hilarius Patrem & Filium authores Spiritûs S. nominat, accipit nomen substantivum pro adjectivo, sc: pro habente authoritatem seu vim spirandi Spiritum S.

Arg: 2. Ideo tres personæ sunt unus Deus: quia hoc prædicatum importat subsistens subsistentiâ absolutâ, ratione distinctum à tribus personis, quod est hic Deus. Sed principium Spiritûs S. non importat subsistens ratione distinctum à Patre & Filio, quod sit principium Spiritûs S. Ergo Pater & Filius non est unum principium &c.

℞. N. Causalem. Nam præciso hoc subsistente absoluto, adhuc tres Personæ dicerentur unus Deus propter vnitatem naturæ Divinæ, sicut si tres personæ assumerent unam humanitatem dicerentur unus homo.

Pro extensiori notitia scias: hoc prædicatum *unum principium*, diversimodè supponere. Et sic quando dicitur: Pater & Filius sunt unum principium, tunc ly unum principium supponit pro utroque supposito eandem virtutem habente. Quando verò dicitur: Pater est unum principium, ly principium supponit pro uno supposito habente virtutem spirandi. Hujus suppositionis varietas inde oritur,

oritur, quòd taliter supponant prædicata qualiter permittuntur á subjectis.

QVÆSITVM I.

V. Relatio spirationis activæ ut distincta à Patre & Filio sit principium Quod Spiritûs S.?

℞. Quòd non. Aliàs haberet propriam subsistentiam relativam. Talis enim requiritur ad principium *Quod* spirandi. Et sic darentur quatuor subsistentiæ relativæ, contra illud Agathonis Papæ: confitemur trium subsistentiarum unam subsistentiam.

Deinde. Subsistentia dupliciter accipitur, vel pro perseitate excludente dependentiam ab alio ut sustentante, vel pro perseitate excludente communicationem. Relatio autem spirationis activæ non habet primam: cùm nec illam habeant aliæ relationes, nisi ut identificatæ Essentiæ Divinæ: cui ut præintellectæ relationibus immediatè convenit. Nec habet secundam. Nam sic esset personalitas. Ergo nullam.

QVÆSITVM II.

Quis sit sensus huius propositionis: Spiritus S. procedit à Patre per Filium?

R. Hoc modo loquendi significari Spiritum S. ita procedere à Filio, ut hoc, Filius habeat à Patre. Quemadmodum dum dicitur, Patrem omnia creâsse per Filium, significatur quod creaverit omnia per eandem potentiam quam Filio communicavit, & per quam Filius omnia creavit ut Pater.

Licèt autem prædicta propositio concedatur, non tamen hæc: Spiritus S. procedit à Filio per Patrem, ut docet S. Th. 1. p. q. 36. a. 3. Nam sic denotaretur di-

stinctio secundùm virtutem spirativam, quod esse nequit: cùm una tantùm sit virtus spirativa. Sicut quando dicitur lex fertur à Rege per judicem, & judex fert legem per Regem, id est, authoritate Regis, denotatur distinctio secundùm authoritatem, scilicet universalem quæ est in Rege, & particularem, quæ est in judice.

Difficultas Vndecima.

V. Ratio Amoris & Doni conveniat Spiritui S.?

DIco 1. Si amor sumatur essentialiter convenit toti Supersanctissimæ Trinitati. Si notionaliter soli Spiritui S. Hæc conclusio patet ex his quæ docentur in hoc tractatu. Sumitur autem amor essentialiter ut dicit habitudinem amantis ad rem amatam. Notionaliter: ut dicit terminum ab amante procedentem.

Dico 2. Spiritui S. convenit ratio Doni. Declaratur. Conditiones doni sunt tres. 1. Vt sit alicuius. Spiritus autem S. est Patris & Filij. 2. Vt detur alicui. Spiritus S. datur creaturæ rationali, cui competit personâ Divina frui. 3. Vt detur gratis. Qualiter datur Spiritus S. Cùm ad habendum Spiritum S. non perveniamus virtute naturali.

Dico 3. Donum notionale soli Spiritui S. convenit. Pr. Amor & donum idem sunt. Ergo amor notionalis & donum notionale idem sunt. Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter ita tale ad tale. Sed esse amorem notionalem convenit Spiritui S. Ergo & esse donum notionale. Min. subsumpta est manifesta. Ant. etiam patet. Amor enim primò donatur rei amatæ. Unde est primum donum per quod omnia donantur. Ideo enim donamus, quia diligimus.

Arg: Filius in Divinis etiam datur. Isaiæ enim 9. dicitur. *Filius datus est nobis.* Ergo est donum. Ergo non

non soli Spiritui S. convenit. ℟. N. utramque. Nam licèt detur: cùm non detur ex vi suæ processionis (non enim est amor) ideo non dicitur rigorosè donum.

Sed quomodo Spiritus S. potest dici primum donum, cùm & amor essentialis sit primum donum? ℟. utrumque esse primum donum, sed in alia & alia linea. Amor essentialis est primum donum ut operatio, Spiritus S. ut terminus.

Quæres adhuc: V. Essentia Divina possit dici donata Filio & Spiritui S.? ℟. quòd non. Nam hæc personis Divinis necessariò & non gratuitò communicatur. In donatione autem intervenit gratuitus affectus, ut patet ex definitione doni, quod est res alicuius qui eam alteri liberaliter confert.

Difficultas Duodecima.

V. Pater & Filius se diligant Spiritu S.?

QUando in conceptu actionis includitur determinatus effectus, inquantùm talis actio nequit concipi sine tali effectu & viceversa, tunc principium denominatur etiam ab effectu. Et sic arbor dicitur florens, non solùm floritione sed & floribus.

Dico. Pater & Filius se diligunt Spiritu S. si diligere sumatur notionaliter. Dico, *notionaliter.* Nam secus, si sumatur essentialiter. Nam si per impossibile essent & non producerent Spiritum S. adhuc essentialiter se diligerent.

Pr. ex S. P. Aug: qui l. 15. de Trin: c. 17. *Spiritus S. est charitas mutua qua Pater & Filius se diligunt.* Est autem contra nonnullos nolentes hæc in rigore sumere. Declaratur. Nam Pater & Filius se mutuò diligunt, & diligendo se, producunt Spiritum S. Sicut ergo denominantur dilectione se mutuò diligentes, ita denominantur ter-

mino, qui est Spiritus S. Sicut arbor denominatur florens, non solùm floritione sed & floribus. Sed hæc magis declarantur sequenti discursu. Quando in conceptu actionis includitur determinatus effectus vel terminus, principium agens non solùm denominatur ab actione sed etiam ab effectu seu termino. Sed Spiritus S. sic est terminus dilectionis notionalis, quòd in conceptu hujus includatur. Ergo principium agens, quod est Pater & Filius, non solùm denominantur à tali actione se mutuò diligentes, sed & à Spiritu S. Ma. patet ex dictis. Min. declaratur. Nam dilectio notionalis non potest esse nec concipi sine Amore Divino qui est Spiritus S. Nec Amor Divinus sine tali dilectione.

Arg: 1. Hæc non conceditur Pater est sapiens sapientiâ genita. Ergo nec hæc: Pater & Filius se diligunt Spiritu S. ℞. N. Conseq. Quia ly sapiens cùm tantùm accipiatur essentialiter, in suo conceptu non includit sapientiam genitam, quæ est terminus actionis notionalis. Diligere autem in suo conceptu includit Amorem Divinum qui est Spiritus S. Et sic licèt propositio conclusionis concedatur, non tamen argumenti.

Arg: 2. Hæc non conceditur: Pater & Filius se spirant Spiritu S. Ergo nec hæc: se diligunt Spiritu S. ℞. N. conseq: Nam licèt sint idem spirare & diligere notionaliter, quantùm ad rem; non tamen quoadmodum significandi. Cùm spirare, solùm importet actum notionalem. Sumitur ex S. Th. 1. p. q. 37. a. 2. ad 2.

Dices. Spirare est producere Spiritum S. Ergo spirare includit suum terminum & non importat solùm actum notionalem. Contra. Non sufficit importare terminum quomodocunque, sed oportet importare terminum productioni conjunctum. Spiritus autem S. non est ex parte modi significandi conjunctus spirationi: cùm possit concipi sine spiratione. Sumitur ex Philippo à Ss. Trin. in præsenti.

præsenti. Et sic etiam generatio v. g. & ædificatio, licèt importent terminos sc: filium & ædificium, non tamen important, necessariò conjunctos: cùm sit filius transacta generatione, & ædificium transacto ædificio. Et sic Pater non denominatur generans filio, nec ædificator ædificans ædificio.

Pro extensiori notitia, scias. Pater non solùm diligit Filium, sed etiam se & nos, Spiritu S. Quia diligere prout sumitur notionaliter, non solùm importat productionem Divinæ personæ, sed etiam personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Unde sicut Pater dicit se & omnem creaturam verbo quod genuit, inquantùm verbum genitum, sufficienter repræsentat Patrem & omnem creaturam. Ita diligit se & omnem creaturam Spiritu S. inquantùm Spiritus S. procedit ut amor bonitatis primæ, secundùm quam Pater amat se & omnem creaturam. Sumitur ex S. Th. loco cit: ad 3.

DISTINCTIO SEPTIMA.

De modo quo nomina essentialia prædicantur & supponunt in Divinis?

DIco 1. Nomina essentialia in concreto, si sint adjectiva prædicantur pluraliter in Divinis. Si verò sint substantiva, tantùm singulariter. Prima pars patet. Dicimus enim tres existentes, tres sapientes, tres æterni &c. Si hæc adjectivè sumantur, 2. pars patet ex symbolo S. Athanasij, secundùm quem non licèt dicere tres æterni &c. si ly æternus substantivè sumatur.

Dico 2. Ad multiplicationem concreti substantivi necessarium est multiplicari formam & suppositum. 1. pars patet. Aliàs si non requireretur multiplicatio formæ, & sufficeret multiplicari supposita, posset dici, concretum

substantivũ, *Deus*, multiplicari, quod est hæreticum: cùm habeamus pluralitatem suppositorum cum unitate formæ.

Secunda pars suadetur. Pater æternus non dicitur plura principia, quamvis in eo sit virtus generativa, spirativa, & creativa. Ergo ad pluralitatem concreti substantivi necesse est multiplicari supposita.

Dices. S. Th. in 3. d. 1. q. 2. a. 3. ad 2. & 3. dicit. Si Filius Dei assumeret duas personas humanas, dicerentur plures homines propter pluralitatem formæ, licèt unum esset suppositum. Rꝫdet Cajet. S. Thomam 3. p. q. 3. a. 7. ad 2. se correxisse: dicit enim. *Si Persona Divina assumeret duas naturas, propter unitatem suppositi diceretur unus homo, habens duas naturas humanas.*

Dico 3 In Divinis nomina essentialia concreta supponunt pro personis Divinis in propositionibus affirmativis ratione alicujus adjuncti. Et sic ratione alicuius adjuncti aliquando supponunt pro una persona aliquando pro pluribus. Dicendo, Deus generat; ly Deus supponit pro Patre. Deus spirat. ly Deus supponit pro Patre & Filio. Dicendo, soli Deo honor & gloria; ly Deus supponit pro tribus personis collectivè sumptis.

Dico 4. In Divinis nomina essentialia concreta supponunt aliquando pro individuo Deitatis, sive pro essentia subsistente: quod fit quando in propositionibus actus essentialis vel proprietas absoluta prædicatur. v. g. Deus creat. Deus est æternus &c. Vbi ly Deus primariò supponit pro individuo Deitatis, secundariò pro personis. Imò sic (seclusis adjunctis, de quibus supra) exigit supponere. Cùm hoc sit primarium ejus significatum. Aliquando tamen prædicta nomina concreta, pro solo individuo Deitatis supponunt, v. g. Deus est Trinus: ubi ly Deus ratione huius adjuncti, supponit pro solo individuo Deitatis. Cùm tali individuo soli conveniat, & de eo solo prædicetur, esse trinum.

Dico 5.

Dico 5. In Divinis, nomina essentialia concreta, non possunt supponere pro personis, in propositionibus negativis actuum notionalium. Nam falsæ sunt hæ propositiones. Deus non generat. Deus non spirat. Cùm ly Deus virtualiter distribuatur ob negationem subsequentem, & fit sensus. Omne quod est Deus non generat. &c. quod est falsum. Quando tamen additur terminus determinans suppositionem subjecti propositionis, dictæ propositiones sunt veræ: v. g. Deus genitus non generat. Deus spiratus non spirat.

Dico 6. In Divinis nomina essentialia in abstracto non supponunt pro personis. Patet ex Concilio Lateranensi sub Innoc: tertio, ubi damnatur opinio Abbatis Joachim, quam in eodem Concilio revocavit, asserentis veras esse has propositiones: Essentia Divina generat. Essentia Divina est genita.

DISTINCTIO OCTAVA.

V. Personæ Divinæ constituantur relationibus?

CErtum est in Personis Divinis dari proprietates reales quibus constituuntur & distingvuntur. In Concilio enim Florentino sess: 1. dicitur. Personas Divinas per suas proprietates differre. Quæ constitutio non est realis formaliter sed virtualiter: cùm constituens non distinguatur realiter formaliter, id est, Scotisticè, à constituto.

2, Licèt pro priori ad relationes conveniant Deo actiones sc: intelligere & velle: non tamen pro illo priori concedendum in Deo suppositum absolutum sed subsistens absolutum. Vt enim sit principium *Quod* sufficit esse subsistens, ut patet de anima separata.

Dico 1. Personæ Divinæ non constituuntur per origines activas vel passivas. Est communis. Patebit authoritate in 2. conc. citandâ. Pr. ratione D. Th. 1. p. q. 40. a. 2.

Constitutivum habentis esse permanens, debet significari ut permanens, & non ut viale. Sed origo activa vel passiva non significatur ut permanens, sed ut habens esse viale: persona autem Divina est aliquid permanens. Ergo origo activa vel passiva non est constitutiva personæ Divinæ.

Dico 2. Personæ Divinæ non constituuntur proprietatibus absolutis sed relationibus. Est ferè inanimis Theologorum contra Joannem de Ripis. Lichetum & Linconiensem. Eam Scotus in 1. d. 26. q. unicâ putat probalem, & ut talem defendit P. Amandus Hermann recens Scoti discipulus in 1. tr. 6. disp. 2. q. 3. cujus opus*, etiam à Scholæ N. Professoribus est approbatum. Et sic à rigida censura hac in parte suaderem abstinere.

Pr. Distinctivum est constitutivum. Sed relatio personas Divinas distinguit. Ergo constituit. Major est certa. Minorem docet Concilium Tolet. XI. in confessione fidei, & Florentinum. Nam in Oratione Bessarionis pro unione c. 6. ab eodem Concilio approbata, præmissâ identitate reali relationis & originis sic habetur. *Ideo utroque modo distinguuntur Divinæ Personæ, priùs tamen & principaliter secundùm modum intelligendi per relationes.* Idem habet Boëtius de Trin: dicens, *Substantia continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem.*

Arg: 1. contra 2. Sacra Scriptura supponit secundam in Trinitate personam esse Filium, & tamen quærit nomen ejus, ut patet Proverbiorum 30. *Quod est nomen Filij ejus.* Ergo persona Filij non constituitur relatione Filiationis, sed absoluto. Frustra enim de nomine inquireretur. ℟. ex Philippo á Ss. Trin. Sacram Scripturam solùm velle, quòd nullus noscat perfectè Filium Dei, quàmvis sit ipsi proprium.

Arg: 2. S. Aug. L. 7. de Trin: c. 1. asserit personam Divinam ad se dici, quod significat constitui absoluto.

℞. ex S. Th. 1. p. q. 29. a. 4. ad 1. Hoc nomen *persona* dicitur ad se non ad alterum, non quòd non significet relationem, sed quia significat relationem non per modum relationis sed substantiæ, quæ est hypostasis.

Arg: 3. S. Thomas q. 8. de Potentia a. 3. ad 7. hæc habet. Relationes in Divinis etsi constituant hypostases & sic faciant subsistentes, hoc tamen faciunt inquantùm sunt essentia. Ergo ex mente S. Thomæ personæ Divinæ constituuntur absoluto.

℞det Andreas à Cruce, & Philippus à Ss. Trin: sensum D. Thomæ non esse, quòd constitutio Divinarum Personarum proveniat ab Essentia Divina formaliter & proximè, sed radicaliter, inquantùm ex Essentia Divina tanquam ex radice habent quòd sint substantiales & subsistentes, consequenter quòd sint formæ hypostaticæ & Divinarum personarum constitutivæ.

Arg: 4. Relatio v. g. Paternitatis supponit personam constitutam. Ergo non constituit personam. Pr. A. Relatio Paternitatis supponit generationem activam: cùm sit de genere relationum quæ fundantur in actione. Sed generatio supponit personam constitutam à qua procedit. Ergo & relatio Paternitatis supponit personam constitutam. ℞. ex S. Th. 1. p. q. 40. a. 4. in Corpore. Relatio ut exercet munus referendi supponit personam Patris iam constitutam C. A. ut exercet munus subsistendi N. A.

Adverte ex P. M. Serra. Duobus modis consideratur relatio Paternitatis, ut concepta & ut exercita. Vt exercita exprimit actu respectum ad terminum actu existentem. Vt concepta dicit formam hypostaticam seu subsistentiam, non ut actu relatam, sed ut aptam natam referri. Et in hac sic considerata consistit quidditas Paternitatis.

Ex his sequitur 1. Relationem constituere personam non secundùm conceptum expressum *Ad*, sed secundùm conceptum *In*. Non ut ly *In* dicit Essentiam Divinam, sed ut

sed ut ly *in* sumitur pro ratione subsistendi, in relatione Divina reperta. Vel etiam (quod idem est) dici potest, relationem constituere personam, non secundùm *Ad* in actu exercito, sed secundùm *Ad* in actu signato: hoc est, inquantùm tale *Ad* est aptum natum referri ad terminum. Et sic pro aliquo signo rationis concipitur persona Divina ut subsistens, & non sub explicita ratione relata. Et sic ulterius, licèt pro tali signo faciat unum referri ad alium, non tamen constituit actu relatum: non quòd tunc desit aliqua actualitas relationi, sed connotatum, de quo mox.

Sequitur 2. Concepto Patre secundûm suum constitutivum jam explicatum, non concipi Filium, sed id quod dicit ordinem ad Filium. Nam licèt Pater ut Pater non sit prior Filio etiam secundùm intellectum: cum relativa sint simul cognitione; Pater tamen ut hypostasis, concipitur ante Filium, ut probat quartum argumentum: & sub hoc conceptu relativa non sunt simul cognitione: quia non sunt ut relativa, intellige, actu, in exercitio.

Sequitur tertiò. Essentia relationis non est respicere actualiter terminum sed habere aptitudinem ad respiciendum. Seu quòd idem: de essentia relationis non est, esse talem in exercitio sed in actu signato. Per relationem in exercitio intellige relationem secundùm actuale munus referendi, quod habet à parte rei. Per relationem in actu signato seu conceptam, intellige ipsamet sumptam secundùm propriam rationem & quidditatem, quam præcisam ab exercitio, solùm habet in mente concipiente. Sicque relationi ut conceptæ solùm convenit referre ad modum actûs primi, relativumque constituere: relationi verò ut exercitæ convenit referre ad modum actûs secundi & relatum constituere.

Sequitur 4. Constitutivum rei non debet distinguere ab alijs. Nam Paternitas sub conceptu formæ hypostaticæ,

ticæ, in signo antecedente generationem non distinguit Patrem à Filio, cùm in illo priori Filius adhuc non intelligatur. Attamen licèt constitutivum Patris, quâ præcisè tale, non distinguat Patrem à Filio, petit tamen distinguere; quia exigit respectum ad terminum, quo Pater à Filio distinguitur. Et sic constitutivum est distinctivum licèt non sit distinguens. Et sub hac intelligentia procedit probatio conclusionis. Ex hoc patet veritas illius: attendendo nostrum concipiendi modum confusum & imperfectum. *Relationes Divinæ constituunt distinguendo, distinguunt constituendo.* Nam si distinctio importat distinctivum, subsistit veritas: secus, si importat distinguens.

Sequitur 5. Posse esse duas rationes virtualiter indistinctas, & aliquid affirmari de una & non de altera. Sic ratio formæ hypostaticæ & relationis in Deo non distinguvuntur virtualiter, prima tamen constituit, secunda, sc: relatio ut exercita, non constituit. Ad salvandum verò, Personas Divinas non constitui absoluto, sufficit, quòd relatio ut concepta seu in actu signato constituat. V. Philippum à Ss. Trin: & M. Serra in præsenti.

DISTINCTIO NONA.

De Personis Divinis in comparatione ad actus notionales.

Difficultas Prima.

De Intelligentia hujus: Filius est de substantia Patris.

Dico 1. Filius (& idem de Spiritu S.) non est de substantia Patris tanquam de materia. Hoc enim sonat imperfectionem. Cùm materia, i. e. prima, sit potentia & subjectum.

Dico 2. Non sufficit sic explicare. Filius est de Patre, qui

qui est substantia. Hic tamen modus explicandi non est omnino falsus. Est autem Magistri Sent: in 1. d. 5. & S. Th. loco cit: q. 2. a. 1. ut Commentator ab eo non alienatur: alium tamen habet ut mox dicetur.

Nam dicendo: Filius est de Patre, qui est substantia, significatur quidem principium activum sed non consubstantialitas: sicut dicendo: creaturæ sunt de Patre, qui est substantia, non denotatur consubstantialitas. Sumitur ex S. Th. 1. p. q. 41. a. 3. ad 2.

Dico 3. Filius in Divinis verè & propriè dicitur de substantia seu de essentia Patris, non tamen de essentia Divina, propriè loquendo, importando solam essentiam Diuinam. Pr. 1. pars. Filius est consubstantialis Patri, & est ab eo ut producente, & ab essentia Divina ut principio *Quo* sibi communicato. Ergo verè dicitur de substantia Patris. Quia illud sufficit ad hoc verificandum. Ita M. Herrera.

Secunda pars probatur ex eodem. S. enim Thomas 1. p. q. 39. a. 2. ad 5. docet quòd ly *De* significet distinctionem. Quia ergo Filius non distinguitur ab essentia Divina, ideo etiam non dicitur propriè de essentia Divina præcisè sumpta.

Quando ergo dicitur, Filius est de essentia Patris, ly *De* hic & nunc, non sonat principium materiale, nec solùm principium activum sed & principium formale, de quo est Filius. Et sic dicendo: Filius est de substantia Patris, sensus est (Essentia Divina quæ est quoddam principium formale quo Pater æternus est Deus) in Filio (per generationem communicata) subsistit, Filiumque Deum constituit. S. Thom. loco cit: q. 41. a. 3. ad 2.

Dixi: *hic* & *nunc*. Nam aliàs ly *de* magis sonat principium materiale, vel efficiens, ut docet S. Th. 1. p. q. 39. a. 2. ad 5.

Vel etiam sensus est (sed in re idem) Pater producendo Fi-

do Filium, communicat Filio eandem naturam, quam habet: quæ Filium Deum, sicut & Patrem Deum constituit. Et sic Filius est de essentia Patris ut de principio formali communicato.

Idem de hac: Spiritus S. est de substantia Patris & Filij. Magis tamen propriè dicitur: Filius est ex substantia Patris, & Spiritus S. ex substantia utriusque. Nam ly *De* magis sonat principium materiale vel efficiens, ut ex D. Thoma dixi. Q. Quem sensum habent hæ locutiones: *Nata essentia de Patris essentia*, ut loquitur S. Anselmus Menol: c. 41. *Essentia de essentia*, ut loquitur S. P. Aug. 5. de Trin: c. 14. & aliæ similes?

℟. det Magister Sent: in 1. d. 5. hunc: Filius qui est essentia, est de Patre qui est essentia. Et Carthusianus in 1. d. 5. q. 1. ad 2. refert ex Vdalrico has & similes locutiones esse improprias. Quæ locutio impropria exercetur, si naturam genitam, Filium dicamus, ut dicit Ægidius Romanus Archiepiscopus Bituricensis explicans quendam locum S. Hilarij, relatus à Carthusiano l. c. intra textum Magistri sent.

Locutio tamen Cyrilli Alex: l. 2. Thesauri c. 1. *Non potest esse perfecta Deitas, nisi Filium habeat & fructum ex se pariat.* non est impropria: nam nihil aliud in terminis sonat, nisi principium *Quo* radicale processionis Filij.

Difficultas Secunda.

V. Potentia generãdi significet relationem, vel Essentiam?

Dico 1. Principium *Quo* Divinæ generationis significat principaliter Divinam Essentiam & non relationem. Ita Magister in 1. d. 7. & S. Th. 1. p. q. 41. a. 5.

Eandem expressit Ioannes Theologus in Concilio Flor: sessione 18. dicens. *Dixi Filium ex Patre & Patris substantia generari, idem significare, ita tamen, ut persona sit producens & gene-*

& generans: principium quo ipsa generat sit id quod solùm communicabile est.

Pr. ex S. Thoma. Principium *Quo* generationis est id, in quo genitum cum generante convenit. Sed Filius cum Patre convenit non in relatione, sed in Essentia. Ergo hæc est principium *Quo* generationis Divinæ. Min. est certa. Ma. pr. Generans primariò intendit assimilare sibi genitum. Ergo principium Quo generationis est id in quo genitum cum generante convenit. Aliàs generans non assimilaret sibi genitum.

Scias. Essentiam Divinam esse principium *Quo* remotum, intellectum verò Divinum esse principium *Quo* proximum.

Dico 2. Principium *Quo* remotum & proximum generationis Divinæ, ut sit tale, debet in obliquo importare relationem Paternitatis. Declaratur. Essentia, item intellectus, ut in Filio, non denominantur potentia generativa. Ergo ut Essentia Divina & intellectus denominentur taliter, debet importari in obliquo seu connotari relatio Paternitatis.

Arg: 1. S. Athanasius Dialogo. 1. de Trin: ait, quòd Pater hypostasi gignat. Sed gignit principio *Quo* generationis. Ergo tale principium est hypostasis seu Paternitas Divina, & non Essentia Divina &c. R. Patrem gignere hypostasi non tanquam principio *Quo*, sed tanquam complemento principij *Quo*, inquantum Essentiam & intellectum Divinum modificat, seu determinat, ut sint principia *Quo*. Eâdem viâ respondet P. Gonet. ad authoritatem D. Thomæ in 1. d. 11, q. 1. a. 3. in Corpore articuli. Cajetanus verò dicit S. Thomam sententiam mutâsse.

Arg. 2. Principium distinguitur à termino producto. Sed Paternitas à Filio distinguitur, non Essentia &c. Ergo Paternitas est principium *Quo* generationis Divinæ, & non Essentia.

℟. ex S. Th. q. 2. de Potentia a. 2. ad 3. Maiorem esse veram de principio *Quod*: cùm nulla res seipsam producat. Non autem de principio *Quo* (sed in Deo) cùm terminus productus in principio *Quo* conveniat cum generante. Convenientia autem in Deo non est nisi per identitatem.

De potentia spirandi (propter eandem rationem) ita etiam sentiendum. Et sic potentia spirandi dicit essentiam Divinam pro principio *Quo* remoto, voluntatem verò pro principio *Quo* proximo connotando relationem spirationis activæ in Patre & Filio existentem.

Dices. S. Thomas 1. p. q.40. a. 4. in corpore articuli dicit: *Actus notionalis spirationis secundùm intellectum* præcedit proprietatem relativam innominatam communem Patri & Filio. Ergo potentia spirativa nequit consurgere ex absoluto tanquam principio *Quo* & relatione communi Patri & Filio tanquam connotato, sed sufficiat connotari relationem Paternitatis & Filiationis. Aliàs enim si relatio communis Patri & Filio connotaretur, non actus notionalis præcederet relationem communem Patri & Filio, sed hæc præcederet actum notionalem spirationis, quod est contra S. Thomam.

℟. Quòd actus notionalis spirationis secundùm intellectum præcedat relationem communem Patri & Filio si relatio concipiatur ut exercita seu ut dicens actualem respectum ad terminum. Secus si concipiatur ut aliquomodo constitutiva potentiæ spirandi.

QVÆSITVM I.

V. Voluntas concomitans quâ æternus Pater vult generationem Filij, præcedat generationem Filij?

℟. Quòd sic. Non tamen influit. Explicatur. Ssmæ Trinitatis Persona videt in priori instanti rationis generatio-

nerationem Filij & Spirationem Spiritus S. quasi futuram in posteriori signo rationis. Tunc secundùm nostrum modum intelligendi intelligitur velle generationem & spirationem voluntate desiderij: quæ positâ generatione & spiratione est voluntas complacentiæ: quam Pater communicat Filio per generationem & Spiritui S. per spirationem.

Pr. Hæc voluntas, realiter Filij generationem concomitans est essentialis seu absoluta: Generatio Filij est notionalis. Essentialia autem quæ non dicunt ordinem ad futura, nostro modo intelligendi antecedunt notionalia, ut docet D. Thom. 1. p. q. 33. a. 3. ad 1.

Adverte. Desiderium, quo prima Ssmæ Trinitatis Persona vult generationem Filij in posteriori rationis quasi futuram, non est desiderium formaliter, (cùm non sit rei absentis) sed æquivalenter.

QVÆSITVM II.

V. Spiritus S. procedat liberè?

℞. Spiritus S. non procedit necessariò, ut necessarium importat coactum. Procedit autem necessariò, ut necessarium opponitur libero propriè dicto. Unde simpliciter loquendo, non est concedendum, Spiritum S. liberè procedere. 1. pars. Quia coactum & violentum dicit imperfectionem. S. enim Hilarius L. 2. de Synodis. Non naturali necessitate ductus Pater genuit Filium. 2. pars. patebit ex 3. quæ. pr. illud secundùm communem modum loquendi est simpliciter liberum quod potest esse vel non esse. Secundùm fidem autem Spiritus S. non habet possibilitatem ut sit vel non sit: cùm sit Deus.

Diffi-

Difficultas Tertia.

V. Actus notionales generationis & spirationis primariò significent relationes, & sic distinguantur virtualiter ab actibus essentialibus?

DIco negativè. Est communis contra M. Serram. Probatio sumatur ex difficultate 2. & 3. & 5. d. 1. hujus tractatûs.

Arguit: 1. P. M. Serra, S. Thom. 1. q. 41. a. 1. ad 2. dicit. *Quòd actus notionales secundùm modum significandi tantùm differant à relationibus Personarum, sed re sunt omninò idem. Unde Magister dicit in 1. sent. d. 26. quòd generatio & nativitas, alijs nominibus dicantur Paternitas & Filiatio.* Sentit ergo quòd actus notionales & relationes solo nomine & modo significandi differant. Hoc ostendit dicens. *Remoto motu, actio nihil aliud importat quàm ordinem originis &c. Unde cùm in Divinis non sit motus, actio personalis producentis personam nihil aliud est quàm habitudo principij ad personam, quæ est à principio.*

℞. Relationes dupliciter sumi. 1. ut constituunt actus notionales in obliquo, 2. ut considerantur præcisè ut relationes. Primâ consideratione significantur per modum actûs, non verò secundâ. Qualiter, actus notionalis & relatio non distingvuntur virtualiter intrinsecè, sed solo modo significandi. Sumitur ex Salmantic. 1. p. q. 41. a. 1.

Est alia D. Th. anthoritas quæ idem videtur dicere, sed ab alijs refertur ex q. 9. de Potentia a. 9. ad 3. *Nam potentia absolutum quoddam est, & ideò non distinguitur in divinis, sicut nec bonitas, nec aliquid sic dictum. Generare verò & generari in Divinis non significat aliquid absolutum, sed solùm relativum.* ℞. Sicut S. Th. sumit potentiam generativam inadæquatè & secundùm absolutum ut salvet summam in-

ter personas divinas æqualitatem perfectionis, ita generare sumit inadæquatè & secundùm solàm relationem ut non tollat æqualitatem perfectionis. Relationes enim, cùm non addant propriam perfectionem, non tollunt in Deo æqualitatem perfectionis. Et sic generare in Deo solam dicit relationem, non simpliciter loquendo, sed quatenus non tollit æqualitatem perfectionis inter personas diuinas. Ex dicta authoritate quatenus ad argumentum respondente apertè patet relationes non dicere propriam perfectionem in Deo.

Arg: 2. S. Th. 1. p. q. 34. a. 1. ad 3. affirmat, dicere & intelligere differre. *Nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam. Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum.* Sed dicere in Deo est actus notionalis. Ergo hic principaliter & in recto importat relationem. ℟. Sicut in prima parte textûs citati, per habitudinem non intelligitur vera relatio realis intelligentis ad rem intellectam, saltem in Deo. Ita in secunda per habitudinem ad verbum non intelligitur vera relatio realis, sed quædam connotatio, ob quam intellectio induit rationem dictionis.

Dices. S. Thom. l. c. dicit. *Sicut propriè loquendo verbum dicitur personaliter in divinis & non essentialiter.* Ita & dicere. Ergo sicut Verbum importat veram relationem realem principaliter & in recto, ita & dicere. ℟. N. Cqm. Potest enim aliquid dici propriè personaliter, & solùm in obliquo importare relationem: qualiter potentia generativa dicitur personaliter, & tamen secundùm dicta solùm importat relationem in obliquo.

Arguit: 3. S. P. Aug: L. 5. de Trin: c. 6. ait. *Genitum non posse dici nisi ad aliquid. Ideo quippe Filius quia genitus. Et quia Filius utique genitus. Sicut autem Filius ad Patrem, sic genitus ad genitorem refertur.* Ergo sicut id à quo dicitur Filius, formaliter & in recto importat relationem,

ita &

ita & id à quo dicitur genitus, quod actus notionalis est.

℟. dist: consequens. Ergo id à quo dicitur genitus importat relationem, attendendo formam geniti constitutivam & distinctivam. C. Conseq. attendendo formam à qua denominatur genitus. N. Conseq.

Arguitur 4. Essentialia & notionalia secundùm id quod dicunt in recto distingui debent: aliàs Essentia Patris notionalis esset: quia in obliquo relationem & notionem importat, ut docet S. Th. loco cit: a. 3. ad 3. Ergo actus notionales primariò important relationem & sic virtualiter adæquatè distinguuntur ab essentialibus. ℟. Ant: non est universaliter verum. Nam potentia generativa notionalis est, in obliquo verò tantùm importat relationem. Nec sequitur quod infertur. Nam non sufficit ad notionale connotari relationem quomodocunque sed in ordine ad terminum ad intra producendum, quod non habet Essentia Divina ut præscindit à potentia generativa. V. dicta d. 1. diff. 2. 3. & 4.

Difficultas Quarta.

De termino actuum notionalium seu processionum Divinarum.

ALius est terminus *Qui* actionis alius est terminus *Quo* seu formalis. Terminus *Qui* est ad quem ultimatè tendit actio. Terminus *Quo* seu formalis est quo constituitur terminus *Qui*.

Dico 1. Terminus *Qui* processionum Divinarum est Persona Divina. Quæ tota dicitur produci, Ita ut non dicatur sola relatio produci in essentia, sed tota persona, accipiens à principio producente, non solùm esse relativum personalitatis, verum & esse absolutum Essentiæ. Conclusio est manifesta.

Dico 2.

Dico 2 Terminus *Quo* seu formalis, est natura Divina. Quia natura Divina est id, quo in ratione Dei constituitur terminus *Qui* sc: persona Divina. Est autem natura Divina terminus *Quo* processionum ut sunt productiones. Nam ut sunt communicationes non habent naturam Divinam pro termino *Quo*, sed pro termino *Qui* seu ultimato.

DISTINCTIO DECIMA.

De relatione æqualitatis & similitudinis inter Personas Divinas.

PErsonas Divinas esse æqualis perfectionis est de fide, secundùm D. Athanasium. Qualis Pater talis Filius, talis Spiritus S. Nec obstat, quòd in Patre sit potentia generativa dicens perfectionem & non sit in Filio. Nam licèt quantùm ad id, quod potentia generativa dicit in obliquo, & secundùm quod non importat perfectionem secundùm dicta, non sit in Filio, attamen quantùm ad id quod importat in recto, & secundùm quod dicit perfectionem, est in Filio.

Dico. Relatio æqualitatis & similitudinis inter Personas Divinas non est realis sed rationis. Ita S. Th. 1. p. q. 42. a. 1. ad 4. Colligitur ex Magistro sent in 1. d. 31. ibi. *Secundùm substantiam Filius est æqualis Patri, & utrique Spiritus S. & appellatio tantùm relativa est.* Quasi diceret: & denominatio quæ à ratione dependet tantùm relativa est.

Declaratur. Relatio enim æqualitatis & similitudinis distinctionem fundamentorum exigit, quod non est in Deo. Cùm in Deo sit eadem magnitudo perfectionis Essentiæ Divinæ. Quòd autem dicta relatio distinctionem fundamentorum & non solùm extremorum exigat, patet.

Nam

Nam fundamenta in præfata relatione, non solùm considerantur ut *Quo* & ut proxima ratio referendi, sed etiam considerantur ut *Quod*. Cùm ut dicit Cajet: non solùm extrema sed & fundamenta referantur. Sic duæ quantitates fundantes relationem æqualitatis, non solùm sunt ut *Quo* sed ut *Quod* extensæ. Item sunt æquales ut *Quod*, si sint ejusdem magnitudinis, & consequenter referuntur ut *Quod*. Sic etiam duæ qualitates fundantes relationem similitudinis, sicut sunt ut *Quod* intensæ, & similes, sic etiam sunt ut *Quod* relatæ.

Arguitur 1. Relatio agentis ad passum est realis: & tamen fundamentum in utroque est idem realiter: est enim actio & passio, quæ in sententia probabili Thomist: non distingvuntur. Ergo ad relationem realem distinctio realis fundamentorum non exigitur. ℞. N. Conseq. Relatio enim in nostro casu non est qualiscunque sed æqualitatis & similitudinis, talis autem, ut declaravi, exigit distinctionem fundamentorum.

Arg: 2. Æqualitas inter Divinas personas est realis. Ergo & relatio æqualitatis est realis. ℞. N. consequen. Aliud enim est loqui de æqualitate, aliud de relatione æqualitatis. Primum concedimus propter convenientiam in eadem natura. Secundum negamus propter negationem distinctionis fundamentorum.

Scias. Inter Personas Divinas concedenda æqualitas formaliter & non solùm fundamentaliter, sumptâ æqualitate formaliter pro convenientia in eadem forma, seu natura, & non pro relatione.

DISTINCTIO VNDECIMA.

De Missione Divinarum Personarum.

Difficultas Prima.

De Natura Missionis Divinæ.

MIssio in communi significat processionem seu egressionem ab aliquo cum destinatione ad aliquem effectum, vel ad aliquem locum de novo. Quatuor concurrunt ad missionem. Persona mittens, Persona missa. Egressio ab eo à quo mittitur, & terminus ad quem mittitur.

Dico. Missio Divina essentialiter importat originem à persona mittente, & non tantùm importat effectum temporalem. Ita S. Th. 1. p. q. 34. a. 2. ad 2. Cui favet D. Aug. L. 2. de Trin. c. 5. dicens. *A Patre exire & venire in hunc mundum, mitti est.*

Pr. Missio Divina vel importat egressionem moralem consistentem in imperio vel in precibus aut consilio seu svasione, vel egressionem physicam quæ est ipsamet origo. Sed non importat egressionem moralem. Hæc enim importat imperfectionem in persona missa vel mittente. Ergo importat egressionem physicam. Ergo originem.

Ex his collige. 1. Missionem Divinam sic definiri. Est origo personæ Divinæ cum novo modo essendi in creatura. Et sic importat in recto originem, in obliquo, effectum temporalem.

2. Personam Divinam non posse mitti à se: cùm non procedat à se.

3. Patrem Divinũ non posse mitti: cùm à nullo procedat.

Arg: Filius à Spiritu S. non procedit & tamen mittitur secundùm illud Isaiæ 48. *Misit me Dominus & Spiritus ejus.* Quem locum intelligit S. P. Aug. de persona Filij à Spiritu S. missa.

S. missa. Ergo missio non importat necessariò originem, sed solùm effectum temporalem. ℞. dictas authoritates explicandas de missione inadæquate sumpta, prout importat solùm connotatum.

Difficultas Secunda.

V. *Missio invisibilis solùm fiat secundùm gratiam sanctificantem & charitatem?*

MIssio visibilis differt ab invisibili. 1. Missio visibilis fit in aliquo sensibiliter apparente repræsentante personam missam. Missio autem invisibilis fit in aliquo effectu spirituali. 2. Missio visibilis non necessariò trahit Trinitatem, ut patet in Incarnatione: secus, missio invisibilis, ut dicetur.

3. Missio visibilis fieri pôtest per quamlibet rem sensibilem, etiam per naturam irrationalem, quæ est assumptibilis à persona Divina, ut docetur 3. p. Hæc tamen missio potiùs dicenda Divinæ personæ communicatio, quàm propriè accepta missio, nisi ordinetur ad creaturæ rationalis sanctificationem. Sicut apparitio Spiritûs S. in linguis igneis fuit vera missio. Missio autem invisibilis fieri debet per donum supernaturale & quidem cum gratia sanctificante connexum, ut dicetur.

Dico. Missio invisibilis non fit nisi secundùm dona cum gratia sanctificante connexa. Ita S. Th. 1. p. q. 43. a. 3. Nam per missionem invisibilem Deus specialiter intra ordinem supernaturalem inhabitat animam hominis: hoc autem non fit nisi per dona cum gratia sanctificante connexa. cùm per alia dona, utpote peccato compossibilia Deus animam hominis specialiter intra ordinem supernaturalem non inhabitet. Quæ enim esset hæc specialis Dei inhabitatio, ubi sedes diaboli? Immo Deus longè est ab impijs Proverb. 16. Hoc magis ex solutione argumentorum patebit.

Dixi: secundùm dona cum gratia sanctificante connexa. Nam qui iustificaretur per visionem beatificam sine gratia habituali, haberet missionem invisibilem Spiritûs S. factam ad se; quia speciali modo esset ibi Spiritus S. Nam licèt in tali casu non adesset gratia habitualis formaliter, adesset tamen eminenter. Nam talis homo haberet cōsummationem gratiæ, haberet remissionem peccatorum, & actus connaturaliter & de se, gratiam in subjecto exigentes.

Sic etiam si Verbum assumeret humanitatem gratiâ sanctificante spoliatam, fieret tamen ad hanc missio invisibilis Spiritûs S. Quia unio hypostatica æquivalet gratiæ sanctificanti, & totam eius sanctitatem & perfectionem eminentissimè continet.

Arguitur. Dum homini conceduntur inspirationes supernaturales, (ut etiam fit dum Papa res fidei determinat) & naturæ irrationali unitur persona Divina, Deus est in homine, & natura irrationali speciali modo, quo non est in alijs creaturis. Ergo secundùm hæc dona secluso dono gratiæ est missio. Cùm missio personæ Divinæ nihil aliud sit quàm origo personæ Divinæ cum speciali modo essēdi in creatura.

℟. ad missionem non sufficit qualiscunque specialis modus essendi in creatura, sed debet esse talis modus, ut Deus sit in creatura tanquam in templo, seu ut existat tanquam cognitum in cognoscente & amatum in amante, procedentibus his ex perfectissima amicitia. Hic est modus specialis intra ordinem supernaturalem. Per inspirationes autem non est Deus in anima tanquam in templo: cùm adhuc possit esse in peccato mortali. Attamen per has inspirationes fit missio invisibilis secundùm quid & inchoativè, diciturque specialis, non intra ordinem supernaturalem, sed comparativè ad modum essendi naturalem in creatura. Per unionem verò cum natura irrationali potiùs est personæ divinæ communicatio quàm unio.

Difficul-

Difficultas Tertia.

V. In missione invisibili verè donentur personæ Divinæ?

TRes sunt modi generales quibus Deus est in creaturis. Per potentiam, præsentiam, essentiam. Esse ubique per essentiam, est adesse immediatè omnibus secundum suam entitatem. Per præsentiam, est cognoscere omnia. Per potentiam, est posse operari in omnibus rebus quicquid vult. Quæritur ergo utrùm in missione invisibili detur alius modus essendi in creatura.

Dico. In missione invisibili non solùm donantur dona gratiæ sanctificantis, sed verè donantur personæ Divinæ ita ut per veram, realem, substantialem, specialem, sui præsentiam inhabitent animam sanctificatam. Et sic si per impossibile Personæ Divinæ non essent in anima iusti, per essentiam, præsentiam, potentiam, adhuc essent modo speciali per missionem invisibilem tanquam in templo, & ut cognitum in cognoscente & amatum in amante, procedentibus his ex perfectissima amicitia. Procedit conclusio non solùm de diligentibus Deum actualiter sed & habitualiter, ut sunt infantes baptizati.

Colligitur ex illo Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Item ex S. P. Augustino serm. 185. de Tempore ibi. *Affuit Spiritus S. in hac die fidelibus, non solùm per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam Maiestatis.* Magister etiam sent: in 1. d. 14. impugnat eos qui dicunt Spiritum S. dari, dum ipsius gratia datur hominibus, tanquam non ipse detur, sed gratia tantùm.

Quid autem detur priùs: Spiritus S. an dona ipsius? Rdet Carthusianus & Philippus à Ss. Trin: ex S. Th. in 1. d. 14. q. 2. a. 1. ad ultimum. *Ordo aliquorum secundùm naturam potest dupliciter considerari. Aut ex parte recipientis vel materiæ. Et sic dispo-*

sic dispositio est prior quàm id ad quod disponit. Et sic priùs recipimus dona Spiritûs S. quàm ipsum Spiritum S. Quia per ipsa dona recepta Spiritui S. assimilamur. Aut ex parte agentis & finis. Et sic quod propinquius erit fini & agenti, dicitur prius. Et ita per priùs recipimus Spiritum S. quàm dona ejus. Quia & Filius per Amorem suum alia nobis donavit. Et hoc est simpliciter esse prius. Pro intelligentia hujus discursûs vide dicta p. 2. N. Summæ Philosophicæ d. 29. diff. 5. & L. 3. Sententiarum Thomisticarum d. 48. quæsito unico.

Probat conclusionem Philippus à Ss. Trinitate. Personæ Divinæ per missionem invisibilem sunt in anima justi, ut cognitum in cognoscente & amatum in amante, non quâcunque cognitione & amore, sed amore perfectissimo amicitiæ, qualis est charitas, & cognitione sufficiente ad talem amorem perfectum. Ergo in missione invisibili donantur personæ Divinæ secundùm suam substantiam. Ant. patet ex dictis. Consequentia etiam constat. Quia amor perfectus amicitiæ ex propria sui ratione unit amatum cum amante, non solùm quantùm ad affectum, sed etiam quantùm ad effectum, id est, realiter & substantialiter. Et est in statu violento, & quasi inquietus ipse amans, quàm diu desideratur talis unio realis. Et è contra est quietus, quando talis unio datur. Ergo &c.

Sic ergo præter tres modos generales essendi in rebus dantur alij tres speciales, quibus Deus adest creaturæ rationali, sc: per gratiam, gloriam & unionem hypostaticam. Primi duo speciales pertinent ad missiones Dei invisibiles. Tertius ad missionem visibilem, quæ est Verbi Divini Incarnati.

Per gratiam Deus est præsens animæ tanquam amicus & sponsus, & sicut cognitum in cognoscente & amatum in amante, cognitione & amore ad perfectissimam amicitiam pertinentibus.

Per gloriam mentibus Beatorum illabitur, illisque per modum

modum speciei & formæ intelligibilis, mirabili & ineffabili modo unitur.

Per unionem tandem hypostaticam terminat naturam humanam eique personaliter unitur.

ADDITIO I.

Quibus terminis prohibemur uti in Divinis?

℟. 1. Non est utendum in Divinis hoc nomine Triplex, si propriè loquamur Quia hic terminus non solùm triplicat supposita, sed & formas. Nomen autem Trinitatis significat tres personas in unitate formæ. Utimur tamen hoc nomine Trinus: quia solùm multiplicat supposita. Et sic non dicitur Deus triplex sed trinus. Immo canit Ecclesia: *Te Trina Deitas*. Quasi diceret: una in tribus personis Deitas.

℟. 2. Ad vitandum errorem Arij, vitanda sunt in Divinis, nomina, diversitatis, differentiæ, separationis, divisionis, alieni, discrepantis, licèt concedatur nomen distinctionis propter oppositionem relativam. Quòd si in aliqua scriptura authentica invenitur differentia &c. posita in Divinis, explicanda pro distinctione.

℟. 3. Vitandum est ly aliud in Divinis, non tamen alius. Hinc Filius dicitur alius à Patre, non tamen aliud. Sed è contra dicitur: Vnum cum Patre, non tamen unus cum Patre. Et hoc ideo: quia per neutrum, utpote informe & indeterminatum significatur natura communis, per masculinum verò, utpote formatum & distinctum, significatur suppositum. Si tamen ly aliud sumatur adjectivè, v. g. Pater aliud est suppositum, habet usum in Divinis. vide dicta distinct. 2. diff. 1. hujus tractatûs.

ADDITIO II.

Ad difficultatem tertiam distinctionis secundæ.

Defini-

DEfinitio distinctionis realis in tertio, assignata à nonnullis & relata folio 47. potiùs est definitio distinctionis virtualis. Nam per hanc ut applicatam ad naturam & relationem, etiam recurrendo ad tertium non aliud intendunt Theologi, nisi quòd natura ita identificetur Patri, ut tamen includat Filium, qui realiter distinguitur à Patre. Seu quòd ita sit in Patre, ut tamen comunicetur Filio, qui distinguitur realiter à Patre. Seu: quòd stãte sumã unitate communicetur realiter distinctis. Et sic neganda major. vel, si urges debere dici realem, distinguenda: concedenda de reali extrinseca, à connotatis petita (ut ibi explicatur) neganda de reali intrinseca, ita ut realitas distinctionis cadat supra naturam. Nisi realis æquivalenter. Sed hoc redit ad distinctionem virtualem. Si autem petatur definitio distinctionis realis intrinsecæ in tertio; definiat eam, concedens eam. Definiri tamen posset: est alia & alia à parte rei realitas, medio aliquo principio. Hoc autem tollit summam Dei simplicitatem. Ubi etiam scias: *Notandum*, post relatam f. 48. Adversiorum conclusionem, licèt eodem charactere scribatur, pertinere ad nostrum discursum. Hæc ad Supersanctissimæ Trinitatis gloriam dicta, subsint infallibili S. Matris Ecclesiæ judicio.

INDEX

Distinctionum, Difficultatum, Quæsitorum, Tractatûs de Ss. TRINITATIS Mysterio.

Distinctio

Q. Quem

ERRATA.

Folio 8.	*versu* 4.	actûs *lege*	actus.
ibid.	29.	suus terminus.	est suus terminus.
9.	4.	non aliquo absoluto.	non in aliquo absoluto
12.	10.	distinguitur.	distingvuntur.
25.	29.	loco.	loco citato.
55.	8	essentiæ divinæ esse.	essentiæ divinæ est esse.
68.	ult.	potius modum.	potius quàm modum
73.	22.	non alio.	non in alio.
90.	14.	notiali.	notionali.
100.	31.	Encomiasticæ.	Encomiaste.
116.	8.	inanimis.	unanimis.
Ibidem.	10.	probalem.	probabilem.
123.	17.	sufficiat.	sufficiet.
136.	19.	Adversiorum.	Adversariorum.
Ibid.	17.	medio aliquo principio:	

subintellige: in quo & per quod tanquam tertium, habetur alia realitas.

Cætera benevolus lector corrigat, & benevolo animo excuset.



175535 Bibliotheca 800,-
RP. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej

06624

G. IX. 15



45535 Bibliotheca 800,-
PP. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej

06624

G.IX.15

VI S. Theo.

G